

6 38

om̃ Dēo.
GENEROSISS. BARON
Domino Guilielmo ab Oppersdorff Ec.
MECENATI SVO

Vnico max.
Exiguam grato, Pater, accipe pectore Strenam,
Quam tibi dat grata mente Poëta tuus.
Ille rogat, capiat tua ne clementia finem
Ante, sua Musa quam moriatur amor.
Spondet digna tuis ingentib. omnia ceptis,
Offert se, vitam, cor, animum, ingenium.
Vive mihi Guilielme diu, tibi vive, tuisq. ,
Utq. diu liceat vivere, vive Dēo.

Salomon Frenzelius
Poëta Casarius.
Cal. Januarii. An. LXXXIX

1875

1875

1875

1875

1875

1875

1875

1875

1875

1875

1875

1875

1875

1875

1875

1875



Epigrammatum
LIBELLI QVATVOR,
LECTV NON INIV-
CVNDI

Quorum

- I. SACRORVM.
- II. DIVERSI GENERIS.
- III. EROTICORVM.
- IV. TVMVLORVM.

Auctore

SALOMONE FRENZELIO

POETA LAVREATO CAESARIO.



PRAGAE,
Typis Georgii Nigrini.

CID. ID. XXCVIII.



222011/-

RECEIVED

NOV 11 1910

U.S. DEPT. OF JUSTICE

RECORDS SECTION

WASHINGTON, D.C.

NOV 11 1910

U.S. DEPT. OF JUSTICE

RECORDS SECTION

WASHINGTON, D.C.

NOV 11 1910

U.S. DEPT. OF JUSTICE

RECORDS SECTION

WASHINGTON, D.C.

NOV 11 1910

U.S. DEPT. OF JUSTICE

RECORDS SECTION

WASHINGTON, D.C.

NOV 11 1910

U.S. DEPT. OF JUSTICE

RECORDS SECTION

WASHINGTON, D.C.

NOV 11 1910

U.S. DEPT. OF JUSTICE

RECORDS SECTION

WASHINGTON, D.C.

NOV 11 1910

U.S. DEPT. OF JUSTICE

RECORDS SECTION

WASHINGTON, D.C.

NOV 11 1910

U.S. DEPT. OF JUSTICE

RECORDS SECTION

WASHINGTON, D.C.

NOV 11 1910

U.S. DEPT. OF JUSTICE

RECORDS SECTION

WASHINGTON, D.C.

ILLVSTRIBVS ET
 GENEROSISS. DOMINIS, DO-
 MINO ADAMO DE NOVA DOMO, LIBERO
 Baroni in Frauenburg, & Novâ domo, Sacræ
 Cæs. Majestati à Consiliis intimis, & su-
 premo Regni Bohemiæ Can-
 cellario &c. &c..

ET

DOMINO GVILIELMO AB OP-
 PERSDORF. LIBERO BARONI IN AICH,
 Fridstein, Hermanmestiz, & Cosell, Serenissimi
 & optimi Principis Maximiliani, Electi Re-
 gis Poloniæ &c. Archiducis Au-
 striæ &c, Camerario :

Mecœnatibus suis etiam atq, etiam colendis.



Lurimum interest, Barones amplissi-
 mi, quo tempore omnis res instituat: & occa-
 sione quadam, & commoditate utuntur ii, qui in-
 stituta sua alicujus momenti esse volunt, & qui
 omnia in loco & tempore agere didicerunt. non
 enim actionum nostrarum opportunità minus
 jucunditatum & laudum consequitur, quam omnium frugum ma-
 turitas. Ex quo quum ego semper animadvertissem, non nunquam
 in tempore plus, quam in ipso negotio, quod suscipitur, po-
 situm esse, rectè facturas se Musæ meæ judicarunt, si etiamnum

P R A E F A T I O.

non tam temporis, quàm loci commoditatem ad usum studio-
rum suorum transferrent. Nam agnoscebant id ipsum tempus,
quod à negociis, quorum causâ hic essem, daretur vacuum, ocio
prætermittere, vanum esse & illiberale, & non malè operam se
collocaturas sperabant, si specimen aliquod (quanquam magis
tenue, quàm mediocre) ederent, quo meam industriam, & qua-
liacunq; studia vobis, Viri illustres, atque adeo ipsi angustissi-
mo nostro Imperatori RODOLPHO, optimo Charitum & Musarum
Hierophantæ, eâ, qua par est, modestia testificarentur. Quam-
obrem aliquandiu de convenienti huic loco & tempori materiâ
cogitanti, Eadem hanc Epigrammatum sylvulam, quæ nunc in
vestro clarissimo nomine apparet, mihi suggerebant. Ea autem
Epigrammata partim nova hic mihi dictabant, in ipsius D E I
gloriam clarissimorumq; Virorum honorem; partim è quodam
latiori Carminum campo congerebant. Etenim jam ante sesquian-
num primâ Pars Poematum meorum, cui Adolescentiæ titulum, de
judicio C. L. Viri IOANNIS STURMII, Præceptoris mei honorandi
& carissimi præfixeram, typis divulganda erat, nisi Librarius me qui-
dam cornutus inanibus promissionibus & tergiversationibus cir-
cumvenisset. Quod quidem ut gravius, molestiusq; feram, non tan-
tùm rerum fortunarumq; mearum ratio exigit, quibus hac Editio-
ne tempestivius consultum fuisset: sed adeo ipsa Voluminis jactura,
nondum enim expiscari licuit, quis Tollio illos sex Christiados, di-
versarum Carminum duos, & quatuor Epigrammatum libros,
quos VVratislaviâ nobilissimus & literatissimus Vir T O B I A S
L I N D N E R V S, ejus Reipublicæ Senator, Patronus meus unicè ca-
rus in Misniam secundò miserat, interceperit. Ex his igitur istos
quatuor Epigrammatum libellos in lucem interea emitto, ut de
interceptis reliquis omnes boni judicent. Neq; verò id de ver-
suum præstantia, quæ nulla in Adolescentiam cadere potest, am-
bitiosè accipi, acceptumque traduci velim; sed potius de ipsâ ma-
terisë intelligi. Non enim talia confinxî, quæ bonos mores læ-
derent, sed quæ legentium ingenia, Scholasticorum inprimis ad
pietatem & humanitatem etiam atq; etiam accenderent. Testis
erit mihi primus Epigrammatum Libellus; testis secundus, in quo
ne ad

P R A E F A T I O.

ne ad Amicos quidem quidquam scriptum est, quod non accuratè legentem de aliqua re honestà admoneat, utut simplex, utut humilis, utut facilis orationis sit stylus. Id non minùs de Eroticis intelligi volo, è quibus adeo nihil scurrile, nihilque obscœnum enucleari poterit, ut etiam aliquid futurum sit, quod legentium animos ad jucundam moderationem pelliceat. Scripsi Erotica veterum Poetarum Exemplo, non ingenio: & ut uno verbo dicam, Amandula mea nihil aliud est, quàm quidam lusus Ingenii, quem tantisper exercebo, donec reliqua studia mea, quorum Poësis Condimentum duntaxat est, tandem divinâ favente gratia in Academia continuem. De tumultis meis, quos pluribus hìc augere non licuit, in spem venio, neminem bonum malè judicaturum: quando sinistrè de mortuis judicare Religionis autoritate prohibemur. In contexendâ verò Epigrammatum serie magis Hortulanos doctos, quam Res meas, sequutus sum. Illi enim etsi jùsto ordine & amabili arbores solo implantant, tamen non unius ejusdemq; generis continuâ serie deducunt, sed varietate gaudent, ut sit, quod postea exspaciantem Hospitem, & jam fructum decerpturum alternatim delectet. Insignia etiam quorundam Optimatum Cæsareorum immiscui, magis difficulter, quàm aptè, & significanter. Sed quòd integros dignitatum titulos non adscripsi, in mentem mihi venire non patior, ipsos hoc iniquo animo & caperâ fronte accepturos, cum & charta angustior fuerit, quàm ut caperet plura (is enim Quaternio omnium ultimus typis impressus est, quoniam Insignia non tempestivè oblata fuerant) & quòd ipsorum prudentia & laus longè major sit, quàm ut ejusmodi cancellis terminari debeat. Porro Carminum appendiculam ad Calcem subjunxi, ut amico lectori amissorum Poematum quendam prægustum relinquerem: quæ si ad manus meas redierint; sanè ad secundam partem, quæ sub nomine Juventutis meæ in proscœnium doctissimorum Virorum proditura est, alacriùs accingar.

Hæc autem Epigrammata, cum incliti nominis vestri inscriptione, Heroes ornatissimi, nunc (quod faustum, felix, fortunatumq; sit) cvulgo, nulla instructus causâ, quæ non honesta sit, atq; liberalis. Nam etsi tu, illustris Adame, in iis rebus vel maximè es

P R A E F A T I O.

occupatus, quas sacratissimus Imperator tuæ fidei diligentiaq; mandavit: tamen hoc, quicquid Libri est, tibi offero, non ut legendi onus imponam, sed ut meam testificer observantiam. Iam inde enim ab eo tempore, quo te nunquam mihi visum meus ille Mecoenas GVILIELMVS ab incredibili erga omnes homines, cum primis literatos, humanitate, amore & studio doctrinarum, atque adeo omnibus Virtutibus exquisitè commendavit, ita quidem, ut ad summam tibi gloriam deesse nihil posse asseverarit, magni te feci. Nunc verò cum coràm videam, atque experiar, ipsum nihil in te extulisse alius, quod non probitate, sapientiâ, dignitate generis, & autoritate superes, quid me permovere potuisset, quò minus Musas te meas appellare permitterem: quandoquidem nulli in posterum quidquam mearum opellarum dicere, certum deliberatumq; habeo, nisi in quo magis eluceat Virtus, quàm Virtutis opinio, & à quò plus doctrinæ & amoris, quam lucri sperandum sit? Quod si nulla me alia hujus instituti causâ tueretur: tamen FILIVS tuus optimæ expectationis Adolescentulus futurus esset mihi instar omnium. Quid enim in te est probitatis, & gratiæ, Pater excellentissime, cujus non præclara Indoles ex Filio effulgeat, ut Is olim longè felicior & clarior virtutum tuarum hæres futurus sit, quàm omnium copiarum. Ad hanc gloriam & felicitatem ut vehementiùs contendat, nō poterit aliquantulum hoc publico meæ observantiæ pignore non exstimulari. nam, ut Poëta canit.

Excitat Auditor studium, laudatq; Virtus

Crescit, & immensum gloria calcar habet.

Itaq; si mecum hoc studium approbaveris, ita lætabor, quasi bona omnia contigerint.

T V V M verò nomen, GVILIELME Mecoenas ô optatissime, multis egregiis de causis, cum augusto Regni Bohemiæ Cancellarii nomine conjungo. Vterq; Baro: Vterq; ex tali familiâ natus, in qua semper verus honos & splendor virtutum enituit: Vterq; Vir bonus, Vterque literatus, uterque candidus, uterque humanus, uterque tam arcto amore sibi mutuò devinctus, ut dulcissimo Parentis & Filii nomine gaudeat. Ac tu quidem, GVILIELME, Baro ingeniosissime, qui de omnibus ad bene merendum naturâ es vel ma-

PRÆFATIO.

vel maximè propensus, tantis me Beneficiis hætenus prosequutus es, ut plura tibi debeam officia, quàm unquam, ne dum hac opellâ, exsolvere possim. Enimvero me, pro illo mirifico literarum ardore, in aulam tuam benignè vocatum explorasti, quem antehac nunquam videras, statimq; tanto amore complexus es, ut ultro liberales ad continuanda studia mea sumtus, citra omnem difficultatem pollicitus sis: quo nomine Viri quiq; clarissimi in Germania, Amici mei, qui nunquam oculis te suis aspexerunt, de ingenio tuo laudabiliter judicare incipient. Quid? quòd & aliis principibus viris, tuiq; simillimis ita me commendasti, ut iudicio tuo permoti, plus mihi tribuant, quàm in me esse sentiam. Cur igitur te Filium cum Parente non jungam? Cur non quasi præludium quoddam tibi exhibeam eorum omnium, quæ ego tuo nomine exornata in manus hominum sequentibus annis venire patiar, si modo benignissimus Pater cœlestis utriq; vitæ usuram & tranquillitatem concesserit. Tibi enim, Meccœnas, debeo omnia, atq; adeo me ipsum. Neque tam beneficiis tuis quàm virtutibus debeo, in quibus excolendis si exëmplo sapientissimi tui Parentis sic perirexeris, ut cepisti, familiâ certè tua memoriam nominis sempiternam ab te habitura est: idq; me neutiquam assentatoriè, sed verè prædixisse, Nepotes olim suis testimoniis comprobabunt. Quæ quùm ita utrinq; se habeant, Illustris Domine Adame de Novâ domo, et tu generosissime Heros GUILIELME ab Oppersdorff; nihil à vobis petendum impetrandumq; restat, nisi ut hanc Epigrammatum sylvam, meæ voluntatis, & studii argumentum, æqui boniq; consulatis, & plus animum, quam rem donantis spectetis. Id futurum est, si munusculi tenuitatem humanitatis vestræ magnitudo sublevaverit. Valere. Pragæ ex ædibus Oppersdorffianis, ad xvi. Kal. Augusti, Anno salutis recuperatæ M. D. XXCVIII.

V. Mag.

observantis,
cliens

Salomon Frenzelius.



IN ZOILVM.

ZOile rode satis, pasce & satis *ἔσθω δὲ νόστωρ*
Cur Latiis jungam metra pelasga, rogas?
Nempe es Cretensis: mendaces Creta dat, ajunt:
Zoile jam nosti, cur tibi graeca loquar.

EIDEM.

NEc grave Iudicium, nec acutòs, Zoile, morsus
Vel formido nimis, vel nimis extenuo.
Nil inimicitiae tecum est mihi, nilq; negoci:
Parva soles nunquam carpere, magna soles.
S. F.



LIBER I.

Epigrammatum sacrorum.

AD SPIRITVM

SANCTVM PRO FELICI

successu cuiuscunq; Rei in-
choandæ.



*Agne Gubernator fortunatorq; laborum,
Dux hominum, & veri Spiritus alme Dei
Ecquid præclarum sine te Mens inchoat? ecquid
Successu ad finem provehit illa bonum?
Tu facis ingenii, manuumq; vigere labores,
Qui Duce te cepit, te Duce finit opus.
Ergo meis clemens etiam nunc annue ceptis:
• Si facis hoc, pulchrè me mea Musa beat.
Ut facias, tua te per Numina posco, per ipsam,
Què me desertum non sinet esse, fidem.
Ingenium moderare meum, rege mentis habenas:
Tu mihi principium, Tu mihi finis eris.*

DEO AVSPICE LABO-
RANDVM.

*Vis bene, quicquid agis, cedat? committe laborem
Spemq; Deo: hac fructus spondet, at ille dabit.*

2 EPIGRAM. SACR.
SYMBOLVM SACRATISSIMI
ET SAPIENTISSIMI IMPERATORIS
MAXIMILIANE II. &c.

DOMINVS PROVIDEDIT.

Quis nescit, moles rerum quæ magna mearum,
Incumbatq; humeris sarcina quanta meis?
Netamen aut desit mihi mens bene conscia, quicquid
Postulet aut usus, PROVIDET ipse Deus.
Js porrò, succumbam oneri ne quando ferendo,
PROSPICIETQ. mihi, PROSPICIETQ. meis.
Js ne damna paret vel amicus operta, vel hostis,
PROSPICIET, certam ferre paratus opem.

ALITER.

Est orare meum, DEI favere
Cordatis precibus: quid ergo frustra
Servili cruciem pavore mentem.
Quin, ut sine fruar beatiori,
Rex noster DOMINVSq; PROVIDEBIT.

DIVI RODOLPHI II. ROM.
Imperatoris &c. Symbolum.

A D S I T.

HOs mihi regnandi qui conciliavit honores,
Adsit is aternâ fautor & auctor ope.

ALI-

ALITER.

*Sive tonet calum, fremat aquor, murmuret Orcus,
Et mundi furiis aestuet omne latus :*

*ADSIT, opemq; ferat tantum Deus unicus, ADSIT,
ADSIT; & incutiet Res mihi nulla metum.*

ALITER.

*Summa gerendarum quamvis mihi credita rerum est
Functio; dulce tamen, cum Deus ADSIT, onus.*

ALITER.

*Cernis ut insidiis Domus Austria ubiq; petatur,
Tuta patrocinio stat tamen illa DEI.*

*ADSIT Is ulterius, supponens fulcra columnis :
Austria sic VIVA est PALMA futura Domus.*

ALITER.

*ADSIT amans juris rerum mihi maximus Auctor,
Cujus ego imperium tempero; tutus ero.*

ALITER.

*Fata reservarunt cur me hac in tempora Regem,
Aetas nulla quibus tetrior antè fuit ?*

*Nimirum ut fieret robur manifestius in me,
Et nunquam fallens Dextra, fidesq; DEI.*

*Ergo qui stabilis Regna, & qui translocat, Adsit,
 Qui prope, quando procul esse putatur, adest.
 Omnia cum possit miranda potentia Christi,
 Non sibi fidentes deseruisse potest.*

ALITER.

*Adsit in interitum licet omnis Machina nostrū,
 Adsit turma mihi cœlica, saluus ero.*

ALITER.

*Auxilio Domini Sim Iustus Tutor Amicus,
 Defensor Soli, Iusticiaq; Tenax.*

ALITER.

*Austriadū Dominus Sit Iudex, Tutor, Amicus,
 Dum Sævit Ira Temporum.*

ALITER.

*Adsis sancte mihi Deus, Adsis Arbiter Aevi:
 Dum Ductore opus est, Dux sis pater optime: Dū Vis
 Summa imis miscet Satana, contunde Superbos
 Immitiesq; animos: In te spes unica Iacta est:
 Te prasente mea est Tuta omni tempore Turba.*

ALITER.

*Auxilium Domini Sit Iniquis Terror: Asylum
 Depressis, Sanctus Iusticiaq; Thronus.*

ALI-

ALITER.

*Maxima Regnorum cum moles me premat, ADSIT
 Auxilium Domini, qui mundum temperat: ADSIT
 Dexteritas dandi suffragia qualibet: ADSIT
 Sobrietas, ex qua sapientia nascitur: ADSIT
 Iusticia, Imperii nervus, columen, Decus: ADSIT
 Thesaurus Virtutum omnis, Me Cesare dignus.*

ALITER.

*Auxiliante Deo Sim Inimicis Terror: Amicis
 Dulcedo: SIT Amor Divum Sacra Iura Tueri.*

ALITER.

*ADSIT, Christe, tuum mihi, Rex ô maxime Regum,
 Adsit consilium, fons quod sapientia, & una est
 Regula Iusticia, Lux Iudiciiq, Levamen
 Curarum, Virtus operum, requiesq, laborum.
 Hoc mihi, vitali dum lumine perfruor, ADSIT
 Auxilium, hoc ADSIT, meq, hoc comitetur in ævum,
 Hoc presente geram Regni Diadema paterni,
 Hoc presente geram felicius inclita sceptrâ,
 Hoc presente sciam laxas dare jussus habenas,
 Hoc presente sciam premere æqua lege manuq,
 Hoc ego Cesaream tuear bene conscius Arcem,*

*Hoc ego continuem reliquos feliciter annos.
 Hoc Anima hac olim mea transvolet aurea cali
 Sidera, et æternis superùm Congressibus ADSIT.*

POENITENTIA.

*Si sera pœnitentia
 Est vera, pol rariſſimè:
 Si vera, neutiquam tamen
 Est sera pœnitentia.*

ALITER.

*Quæ peccatorum surrepunt tadia menti,
 Si sunt sera nimis, sunt quoq; vera minus.
 Si tamen in melius conuertunt munia vite,
 Si sunt vera nimis, sunt quoq; sera minus.*

ALITER.

*Rarò vera, petunt animum qua tadia serò:
 Sera tamen non sunt, si modò vera satis.*

CAELVM PATRIA:

Terra exilium.

*Exilium Tellus, Mors janua, patria Cælum,
 Dux Christus, Christi faxq; comesq; Fides.*

Hoc

*Hoc Duce carpe viam face pralucēte, statimq;
Hospes eris cali, qui miser Exul eras.*

HOMO UMBRAE SOMNIVM.

Ex octavo Hymno Pyndari in Pythiis:

Ἐπάμεροι. τι δὲ τις τι δὲ τις
σκιᾶς ὄναρ ἀνθρώπου.

*Dic mihi, quid vacuū magis est, quid inanius umbrā?
Somnia quin Umbrae Pindarus esse docet.*

*Tale quid omnis homo est, ut non jactare quis ausit:
Ecce hic est aliquid, nec quoq;: Nullus hic est.*

*Hæc est fortuna, fato indulgente, potestas:
Illa repentinæ versat ubiq; vices.*

*Sæpe fit umbra levis, paulò qui floruit antè,
Et subitò est aliquid, qui modò nullus erat.*

*Magna valet parvis, spem prater & ima profundis
Permutare manu fata regente DEVS.*

*Idem summa solet mutare frequentius imis,
Quum quis concessio nescit honore frui.*

AETATE VTENDVM.

*Ut ere flore tuo (volat irrevocabile tempus)
Ut ere tot donis, pulcra juventa, DEI.*

*Qui florem atatis Satana, fecesq; propinquā
Morte DEO sacrat, nonne venustus homo?*

IMPROBITAS VLTIMI SECVLI.

Ad Dn. Ioan. Pucherum, à Pucha, Sena-
torem curiæ VVratisl

*Spem quicumq; capit de prosperioribus annis,
Ut nunc sunt mundi tempora, mente caret.
Quid Puchere, boni sperandum, ubi nulla supersunt
Indiciâ antiquæ simplicitatis, Amor
Nullus Virtutum? res prudentissîma quondam
Simplicitas, sanctæ plenq; laudis erat.
Nunc specie recti tractare volumina fraudum
Factatur prisca simplicitatis opus.
Est virtus, falsâ probitatis imagine duci,
Est virtus, studiis abstinuisse bonis.
Nec modus hic vita cursu perdurat eodem,
Quotidie in pejus præcipitatur iter.
Et capiat quisquam spem de melioribus annis,
Inducatq; animo somnia tanta suo?
Eheu floruius, sed flos evanuit ille:
Vix facies prisca temporis Umbra subest.
Ipsa parens rerum Natura, ipse altus olympus,
Quos videt esse malos, his negat esse bonus.
Nulla igitur superest spes de præsentibus ævi
Temporibus? mala res si queat esse bona.*

Sed

*Sed de venturo restat spes optima seculo,
 Fatorum quondam quod novus ordo feret.
 Interea, quando nihil hic super, unica nostri
 Regula visq; precum sit medicina mali.
 Hic igitur novus est annus quicumq; futurus,
 Tantum non animæ perniciosus eat.
 Non est æternum, longo quod tempore durat,
 Restat Vita bonis, vitæq; morsq; malis.*

VETVS ET NOVA GERMANIA.

Dialogus Veteris Germaniæ,
 & Viatoris.

*CVr Deus, ô antiqua tibi Germania præstò est?
 Namq; ipsum antiquâ Religione colo.
 Cur fortuna favet? stabilis concordia cura est,
 Cum qua regna vigent, qua sine regna cadunt.
 Cur tot opes cumulas, totq; extruis inclita tecta?
 Quòd parcâ vitam simplicitate tego.
 At cur consilii docta es felixq; Magistra,
 Fataq; quod suades, prosperiora capit?
 Ne juvat ingenium doctis coluisse Camenis,
 Omnia palladiâ que moderantur ope.*

*Sic Deus & fortuna favent, opibusq; repostis
 Affluo, sic passim splendida regna colo:
 Digna solent Eventa sequi plerumq; labores,
 Quæ rogitas, dixi: desine plura, Vale.*

NOVAE GERMANIAE.

*Cur Deus aversus tibi? namq; averfa Deo mens,
 Quem variè torta religione colo.
 Cur sors nulla favet? quia litib. omnia sevis
 Plena, quibus nullo stant bona regna loco.
 Cur lacero incedis, quasi flebilis Exul, amictu?
 Quòd mihi Luxuries perniciofa placet.
 Sed cur consilium rudis es dare, cunctaq; finem,
 Cur funestum adeo, qua moderaris, habent?
 Scilicet Aonias contemsi prodiga merces,
 Ociaq; inprimis complacuerè mihi.
 Sic invisa Deo, sorti, rerum omnium egena
 Discrucior: me nil quàm mala fata manent.
 Exitus acta probat: capiunt dignum orsa laborem:
 Desine plura, vetat dicere plura dolor.*

NIHIL CASV FIERI.

Accidit

Accidit humanis quicquid mirabile rebus,
 Nil sit, quod caussa vel ratione caret:
 Quod si casus iners hac omnia fortè gubernat,
 Et Deus, & fatum nil nisi casus erunt.
 Omnia, sic certum fuerit, sine lege moveri:
 Nil tempere ergo fuit, nil sit, eritq; nihil.

HVMANA FRAGILITAS.

Psal. CIII.

Quod flos in Pratis, quod mobile gramen in hortis,
 Id juvenis, canus, dives, egenus homo est.
 Quàm citò purpureum florem rapit Impetus Euri,
 Tam citò Mors hominem turbida falce metit.

AD DEVM.

Pro felici ex hac miseriarum Valle com-
 migratione. Psal. XXXIX.

Nil ego, magne parens, imo sub pectore verso,
 Quod non vestiges cognitione tua.
 Scis, quoties claudio, quotiesq; sopore resolvo
 Lumina: Tu latebras mentis inire potes.
 Omnes tu fibras, corq; omne examine torques,
 Rimarisq; animi scita profunda, Deus.

*Sive eo, sive cubo, tu me comitaris, & omnes
 Prospicis, ambiguo quas pede carpo, vias.
 Nilefferre sono scit lingua, sedetq; labellis,
 Quam non prævideas, vacula nulla meis.
 Ergo quid est reliquum, nisi quò dictante ministres
 Flamine divino Tu documentamibi?
 Fac igitur, certò statuam, quòd terminus ævi
 Fixus ad extremam sit maneatq; diem.
 Fac animo inducam, quòd in his sim sedibus Hospes,
 Tentandumq; aliò perfreta restet iter.
 Tu mihi te Comitem vastum, Deus, adde per aquor,
 Naufraga ne dubiis mergar onustus aquis.
 Ab ne me, ne me, ne desere maxime Rector:
 Erro vagus sine te, te Duce certus eo.*

FIXVM NASCENDI ET MO-
 riendi tempus. Eccles. 3.

*T*Empore cuncta suo gaudent, moderatur & omnis
 Calorum series tempore quaq; suo.
 Certum est nascendi, moriendi deniq; certum
 Tempus, & in fatum jus habet una Dies.
 DEVM SERVARE SVOS
 inter medios hostes.

Henrico Abrahamo Einsidel à Scharffenstein.

Essè quid hoc dicam, quòd te indulgentia fati
Eripuit medià morte, dolore, dolo?

Elapsus vinclis hostilibus ergo triumphas?

Et meritò: in medio funere vita data est.

Insidias aliena tibi fallacia struxit:

Propterea ne putas te superasse malum?

Est aliquid tolerare dolos, culpàq; vacare:

Ast alia est de te sospite caussa mihi.

Ingenio qui te divino instruxit, & arte,

Qui vite usuram, qui bona cuncta dedit:

Is te, Einsideli studia ad majora reservat,

Et per te magnum premeditatur opus.

Exitus ut probet ista, tua est Virtutis; abundat

Spe patria, & Pater, & quos tibi junxit amor.

Multa Patri debes, debenter plurima Amicis:

Sed Patrie debes, quod dedit illa tibi.

AD CHRISTVM PRE-
catio morituri.

Hic jaceo, gemituq; diem noctemq; fatigans
Humane meditor flebile sortis onus.

C iij

Hinc

Hinc placidam mortem, finemq, exspecto beatum,

Gaudiaq, aetherei non peritura throni.

Ergo veni tandem, JESU dulcissime: quanto

Ab desiderio tangor, adesse tibi!

Vrget peccati me moles magna, nec unquam

Hujus ego inficias ire studebo Rei.

At contra timida certa est sententia menti,

Quod sis peccati Bājulus ipse mei.

Jesu Christe, Dei Rerum Patris unice Fili,

Si corrupta mihi Mens, tibi tota pia est.

Ut latum superem sacro ex Baptismate saltum,

Sic pietas agilem me tua sola facit.

Ut nempe emergam in portum, qui subdita Patri est

Mens tua, noxa expers, fida favensq, mihi.

Atq, hunc in Portum molem depono gravantem,

Obvius hanc humeris suscipis usq, tuis.

Sic igitur mea culpa tibi est addicta, tuaq,

Iusticia munus nobile, Christe, meum est.

Ergo meam possim quā desperare salutem?

Quin Anima ò multis exbilarare modis.

Eja age Vita mea est aeterna manetq, quid ultra?

Hac spe jam mortem vinco sopore levi.

DE CRUCE CHRISTI

IN *Cruce cum Vitam pro me profuderis olim;
 Fas me, Christe, tuâ pro cruce ferre crucem.
 Mors tua Vita mea est, spina est Diadema, sepulcrum
 Libertas, tua Crux Lux mea, Vita, salus.*

DE EADEM.

CRux tua, Christe, mea est Lux, Lux tua spes mea,
spes est
 Vita: Salus ergo sub Cruce tota mea est.

ALIA MORITVRI PRECVLA.

CHriste, fudisti Cruce qui beatam,
 Pro meâ pendens Animam salute,
 Per tuam mortem moriturus oro,
 Annue votis.

*Ecce supremus supererrat ossa
 Halitus, vires abeunt, calorq;
 Deficit: vita morientis adsunt
 Omnia signa.*

*Porrigas ergo, miserate, dextram,
 Rex tuo, Fratri, Famulo, clienti,
 Ne creaturam teneram supremo
 desere fato.*

Gratie patris memor esto, mortis

Et

*Et tuá; vita sed iniquioris
 Immemor nostra: pudet ejus acta:
 Solve reatum.*

*Solve Rex Regum, mea spes, salusq;
 Daq; felicitis fruar arce cali,
 Pace pro bello, furiisq; mundi,
 Pro Nece Vitá.*

*Sum tuus, vivam moriarve, totus;
 Ergo nec vita timeo nec ictus
 Mortis: invito Sataná triumpho
 Mortis in actu.*

EFFICACIA SPEI.

*SPes bona corde pio satis præscripta moratur
 Tempora, præscribit tempora nulla DEO.
 Ille diem indicit nullam mortalibus agris,
 Quæ velit optatam ferre rogatus opem.*

*Tempora nam sapiens opportunissima solus
 Novit, nec pravis utitur ille dolis.*

*Et quamvis haurire diu videatur inani
 Aure preces, vanum ne tibi finge metum?
 Proximus auxilio est, quum prorsus abesse videtur,
 Pensat & Eventu prosperiore moram.*

*Si tamen usq₃ capax fidei mens esse rēcusat,
 Fortius occulto nitere amore DEI.
 Sint Ejus promissa magis rata, firmaq₃ menti,
 Omnia quā carnis somnia stulta tuæ.*

IN CHRISTO SALVS AETERNA.

*S*emper obirem odio, nisi tu me semper amares,
*O Anima JESV sola modela meæ!
 Semper abesse mihi, nisi tu mihi semper adesses,
 Cogerer, & nudum nomen habere hominis.
 Ast ego sum, quicquid sum, Tu quia, maxime Rex es;
 Semper ero, quoniam tu quoq₃ semper eris.
 Quod si semper ero, quod es, & Tu semper es in me,
 Quis fortunatus me magis esse potest?*

HOMO LUTVM. Ecclef. XVII.

*T*empora dispensat, dispensat fata, labores,
*Principium, finem, deniq₃ cuncta Deus.
 Ecce no Omnipotens hominem formavit, eundem,
 In fluidum redigit, quod fuit antè, lutum.*

PIORVM MORS INDICIUM futuræ cladis. Isa. LVI.

*O*ccumbit letho Vir servantissimus æqui,
 Nec quisquam fati corde volutat opus.
 Sanctorum multos rapit inclementia mortis,
 Et nemo advertit funera, nemo sapit.
 Quippe pios aliena premat ne culpa, futuris
 Plerumq; eripiunt provida fata malis.
 Hinc Vita integri redi vivâ pace fruuntur,
 Et pia sit tumuli molle Cubile Quies.

VIS PRECVM.

*V*ota Dei penetrant aures, hominumq; secundant
 Cepta, sinistra fugant, dextera fata vocant.

PROXIMO VITAM EMENDANTI
 Vitia non exprobranda. Syrach. 8.

*E*xprobrare cave, fame insidiatus, Amici
 Crimina, declinat quæ meliore viâ.
 Tecum habita ad veniam facilis, semperq; memento:
 Omnes antiquam corde fovere luens.

DE MORIVS VLTIMI SECVLI.

*H*ei Dolor! hoc turpifas omne revellitur ævo,
 Omnis prisca fides tollitur, omnis amor.
 Cujus in auxilio fiducia summa jacebat,
 Detrahit optatam, quum tonat aura, manum.

Esto

*Esto Anathema, hominis quisquis spem ponit in usu,
Nullus enim incerto tempore certus erit.*

*Fel sub corde latet, liquidum mel manat ab ore;
Qui sapis, attentâ mente caveto tibi.*

*Fide Deo tantum promissis stare solenti:
Nam per Eum nemo labe notatus obit.*

*Expertus fidensq, loquor: solamen ab ipso
Provenit in dubiis casibus omne meum:*

*A Domino me nullus homo divulserit unquam,
Qui me cunq, truci tempore casus agat.*

*Summamibi intentet vel Amicus damna, vel hostis,
Nil moror, à nostrâ sit modò parte DEVS.*

*Vivo tibi, moriorq, tibi Pater; asserte votum,
Nec sine confundi spemq, fidemq, meam.*

RELIGIONIS AMOR, & odium.

NON odium est pejus, quàm Religionis, Amorq,
Major, quam vera Religionis Amor.

RELIGIO PAUCIS CORDI.

LUdit in aethereis humana licentia Rebus,
Et paucis cordi est Religionis opus.

D ij

Mors

MORS NON PERTIMESCENDA.

N*emo mori plus horrescit : nam cum Duce Christo
Dulce est in mediâ morte doloris onus.*

DE GAUDIIS MARTINI.

*Ad Martinum Kinnerum à Scherffenstein,
in VVissag, Lodeniz, & Dit-
mansdorff.*

G*audia Martini quis in isto nuncupet anno,
Quo miscet summisturbidus ima Satan?
Gaudia Martini quàm diceret alma Vetustas,
Aurea tunc ibant secla, favente DEO.
At nos attigimus quæ tempora? scilicet in quæ
Omne reservatum est triste, quod orbe latet.
Ergo dies, Martine, tuo quæ nomine gaudet,
Gaudeat : at nostrum est fundere jam lacrimas.
Hoc Elementa jubent mœrentia, commonet æther,
Dum Natura omnis solvitur in lacrimas.
Nostra preces igitur sint gaudia, gaudia quæ sunt
Cœlicolum, & dubiis casibus una salus.
Nominis ista tui sunt gaudia, suntq; Diei,
Quæ fas est numeris concelebrare meis.*

Sic nos in Domino gaudebimus, impius orbis
Dum dat laticiae signa profana suae.
Ut tamen ad nomenq; diemq; tuum gratantia dicam,
Verba tuusq; tibi carmine constet honos:
En sterilis (quoniam sterilescunt gaudia) Musæ
Carmina, non leto pectore, ducta pio.
Cujus in arbitrio stat vitaq; morsq; piorum,
Ille tuae etatis mite gubernet iter.
Ille tuam Sobolem, fortunatosq; penates
Hoc infelici tempore ab hoste tegat
Ille, ita si visum est, aut gaudia prisca reducat
Martini, aut doceat nos tolerare crucem:
Namq; boni nil est sperandum hoc tempore: restant
Gaudia sola polo, gaudia nulla solo.

DEVS AVXILIATOR IN TRI-
 bulatione. Symb. NOB. V. D. Ioach.
 Tschernin.

R *Ebus in adversis, quas fata Deusq; gubernant,*
Auxilium nobis fata Deusq; ferant.

ALITER.

Rebus in adversis, Superum quæ mente reguntur,
Fortune praeses nos juvet Ipse Deus.

ALITER.

*Rebus in adversis, quas dirigit Arbiter Aevi,
Auxiliatricem porrigat Ipse manum.*

ALITER.

*Rebus in adversis, quas equis flectit habenis
Ipse Deus, quis nos protegat? Ipse Deus.*

ALITER.

*Rebus in adversis, quæ fati lege reguntur,
Auxilium fati Conditor Ipse ferat.*

ET SIC.

*Quùm fortuna tonat, ne labere Mens mea, sursum
Respice: fortunam qui moderetur, erit.*

LAPIS SCANDALI

Ephes. XI.

Fervor Avaritia, ventosa Superbia, Egestas,
Arbitrium freno liberiore furens:
En hæ sunt pestes, en hæc sunt scandala vite,
Restituit Christus quam tibi morte suâ.
Duplex pietas cohors: ab parva immunis ab istâ
Collusie! ab summis maxima victa malis!

Qui

*Qui sub Calicolum, quicumq; es, ovare triumpho
Niteris, has pestes effuge; tutus eris.*

REGVLA VITAE.

*VT tibi contingat mors optima, vivere discere,
Vitaq; apud Superos optima, discere mori.*

CONSOLATIO IN ADVERSIS.

*Parce metu mea Mens, Deus est huc usq; superstes:
Vivit, amat, parcit, corrigit, ornat, alit.*

DICTVM CHRISTI.

*Estote prudentes, ut serpentes, & simplices
ut columbæ.*

*QVi tuis quondam, bone Christe, servis
Regulas vitæ dederas agenda,
Nos clientela quoq; protegenti
Subijce dextrâ.*

*Nam redemisti Nece nos eâdem,
Unde vexillo, Duce te, sub uno
Dæmonis contras furias & orbis
Belligeramus.*

Plena

*Plena res summi geritur percli,
 Ut sit attentá prece, mente cautá,
 Moribus castis opus, atq; sensu
 Simplice cordis.*

*Hanc tuis olim Famulis dedisti
 Regulam: nobis eadem tenenda est,
 Qui tui verè perhibemur artus
 Corporis esse.*

*Tempus intentat mala summa nobis,
 Mors pharetratá furit arte, Turca
 Ense, styx undis, latus omne mundi
 Aestuat irá.*

*More serpentum Deus ergo fac nos
 Esse prudentes: sed & ut columbas
 Simples: nostra tua Vox Magistra est
 Optima vitæ.*

*Hac fides, Damon licet ima summis
 Misceat, solá stat, & orbis omnes
 Vincit insultus prece, mente cautá, &
 Simplice sensu.*

*Christe cor simplex, pariterq; prudens,
 Christe cor prudens, pariterq; simplex
 Spiritu sancto rege: sic ovamus
 Te Duce solo.*

DEVS DVX FORTVNAE.

Symbolum D. Paulli Gitschinski.

Qui Dux est vita, rerum certissimus Auctor,
Fortuna Deus est Duxq; comesq; mea.

A L I T E R.

Si DEVS est vita, qui Dux est optimus, Auctor,
Cur non fortuna Duxq; Paterq; foret?

A L I T E R.

Qui Dux est vita, rerum DEVS arbiter equus,
Idem est Fortuna Duxq; Caputq; mea.

PEREGRINANTIS PRECATIO.

CH R I T E tibi vivo, qui das primordia vite:
Ergo tuo fiat nomine, quicquid ago.

Nomine jamq; tuo calcabo strata viarum,
Te Duce calcatas exsuperabo vias.

Spectat iter nostrum divina Mentis honorem,
Christe tuo aggrediar nomine, quicquid agam.

ABSQ. DEI VOLVNTATE

nullum infortunium.

Matth. X.

E

An

A*N* non aſſe levi paſſerculus unus & alter
*V*enit, avis Cereri pernicioſa nimis?
*E*t tamen haud unus, niſi permittente Iehová,
*I*n terram veſtros decedit ante pedes.
*Q*uin omnes potius numeravit Conditor idem,
*Q*uot quot geſtatis vertice quiſq₃, pilos.
*N*emo igitur ſeſe formidine vexet inani:
*P*aſſeribus preſtat pluribus unus homo.

T E M P E R A N T I A.

E Quintiliano.

N*O*n, ut edat, vivit: ſed edit, quò tempore certo,
*Q*uod pia præſcribunt Numina, vivat homo.

V I T A E T F A M A H O M I N I S.
Eccleſ. XLII.

C*I*rcumſcripta brevi, licet aurea, tempore Vita eſt:
*F*ama ſed aternos vivit honeſta dies.

P I O R V M V I T A E T M O R S
Deo ſacra. Rom. XIV.

N*E*mo ſibi moritur, nemo ſibi vivit; utrumq₃
*A*cceptum debet quisquis referre DEO,

Seu

*Seu morimur, Domino morimur: seu vivimus, Ipsi
Vivimus: Ergo DEI, quod sumus, omne sumus.*

Posterius distichon est Melch. Tilefi V. doctissimi.

IN LECTVLVM SVVM.

V*T Sopor est mortis, sic Lectulus Umbra sepulcri:
Ut bene post vivam, da bene, Christe, mori.*

IN FINEM CVIVSCVNQ. DIEI.

L*Abitur ista Dies: quæ crastina? nescio Christe:
Hoc scio, quòd cura sim maneamq. tibi.*

ORATIO DEI AD ECCLESIAM
suam. Esa. XLIX.

T*Anta potestne ullam satiare oblivio matrem,
Securam ut Sobolis suadeat esse sua!
Hac licet in duram cadat inclementia matrem,
Non tamen Ipse tui non memor esse queo.
En manibus scripta Ipse meis tua nomina gesto,
Ante oculos tua sunt mœnia structa meos.
Accurrent celeri gressu, quæis condere muros,
Et fugient, quibus est diripuisse labor.*

MISERICORDIA DEI.

Ezech. XVI. XXXIII.

E ij

Ipse

IPse **D**EV S quondam est patrio sic ore loquutus :
 Ille Ego per Vitam juro Jehova meam :
 Non vindicta mihi sic est jucunda, merentem
 Ut cupiam aeterna succubuisse Neci.
 Quin ut iter melius Vita ingrediatur agenda,
 Et mecum aeternos transigit, opto, Dies.

DE ANNO OCTOGESIMO
 octauo. Ad Mart. Kinnerum
 à Scherffenstein.

EN ille ingreditur tandem octogesimus Annus,
 De quo tot vates tristia fata canunt.
 Non equidem sese Deus ad presagia celi
 Alligat : haud astris flectitur, astra regit.
 Stellarum tamen errantium Conjunctio magna
 Vix poterit parvas conglomerare Vices.
 Rideat id, quicumq; volet : risisse pigebit :
 Scire mihi satis est, non meliora sequi.
 Crede mihi octavus trahet octogesimus annus
 Aut finem, aut mundi grande ciebit opus est.
 Id penes est unum, qui temperat omnia : nostrum,
 Funder e sollicitas nocte dieq; preces.

DE

DE CALAMITATIBVS

Vltimi seculi.

CHriste reseruaris nos in quæ tempora, cernis;
 Nempe quibus peior nulla senectæ fuit.
 Vincla, quibus constrictus erat, rupisse videtur
 Omnia dissidii faxq; caputq; Satan,
 Vsq; adeo superest nullus pietatis, amoris,
 Iustitiæ, fidei, Religionis amor.
 Respice nos igitur mitissime respice **JESV**,
 Quos circumvallant omnia fata malis.
 Ne pœnas æqua sceleri, ne longius iræ
 Frena tuæ laxes: turba misella sumus.
 Parce tuæ Soboli, quæ pars est debita celo,
 Esse pupillorum teq; memento Patrem:
 Sic tibi tot motus inter, tot bella, tot hostes
 Servabis sanctum semen, & inde metes.

DOMINVS PROVIDEBIT.

Quicquid fecibus his ruentis Aevi,
 Quo non deterius fuit, futurum est;
 Nil formido mali, nec extimesco:
 Vnus nempe Jehova providebit.

SALVTATIO ANGELICA.

D*Ulcis ave VIRGO: DOMINVS tecum: Ecce beata es,
Eq. tuo Fructus Ventre beatus erit.*

PHILOSTORGIA DEI PATRIS,
Pfal. CIII.

Q*uanta, vide, bonitas in nos sit Numinis almi!
Quanta in Mortales gratia, quantus amor!
Supplicio Delicta Deus non pensat atroci,
Nec subito, meriti ceu fueramus, agit.
Namq; in morigeros latè sic gratia sese
Tendit, ut à terris distat uterq; polus.
Quàm procul Eoo disjungitur Hesperus astro,
Tam procul à nobis culpa favente Deo est.
In timidos mentem facilis Deus accipit aquam,
Ceu Prolis miseret, sorte premente, Patrem.
Et nondum in melius reprobura convertimus ævum?
Et nondum Bonitas nos facit ista Bonos?*

EADEM. IOHAN. III.

M*ortales tanto Deus est complexus amore,
Ut calo Natum miserit Ipse suum.*

Noluit

*Noluit alterius reparari morte salutem,
 Humanumq; sibi conciliare genus:
 Nullus ut occumbat, sed califiat Alumnus,
 Qui locat in Domino spemq; fidemq; Deo.*

DE VLTIMIS TEMPORIBVS.

Ad Amicum.

*Si faciem mundi videas, Francisce, videtur
 Quanti vis precii: verum odiosa loquor.
 Esto: odium pariat VERVM mihi nobile: Verum est.
 Hoc seculum quo vis turpius esse luto.
 Si vis ergo dolos, si vis ludibria mundi
 Vincere, consilio nitere rite DEI.
 Sis prudens simplex, & erit Conversio felix,
 Vt simplex prudens inueniatur Deo.*

IUDICIUM CHRISTI

Extremum.

Status piorum in altera Vita.

*SÆpe quid hei duro nocet indulgisse dolori,
 Et cruce pro Christi sæpe tulisse crucem?
 Ecce venit tandem non emoritura voluptas:
 Felix, qui infelix hac ratione fuit!*

STA-

STATVS IMPIORVM.

*F*rena quid in vetitos juvat intendisse labores,
 Et mala post demto plurima sine pati?
 Ecce venit tandem magni vindicta Tonantis:
 O verè infelix, cui venit ante diem!

CVM CHRISTO NIHIL
periculi, Rom. VIII.

*S*i Deus à nostris est partibus: ecquis in Orbe
 Audeat hostiles conservisse manus?
 Quandoquidem Nato non parsum est, quò minus ille
 Victima pro mundi pura salute foret.
 Et cur non nobis donaret habenda per unum,
 Omnia tam mitis munificusq; Pater?

CHRISTVS ASSERTOR VITAE.
Rom. VIII.

*E*cquis erit, cujus conatu, robore, technis
 Gratia nos magni deserat alma DEI?
 An fortuna, fames, angustia, tristis Egestas?
 An Martis rabies, & grave Mortis onus?

Nil

Nil minus : imò aliud rebus solamen in arctis

Erigit assiduis pectora fracta malis :

Nempe quòd haud ullis a verruncare valebit

Insidiis quicquam nos ab amore DEI.

Non quisquam Angelicæ gentis, non ulla Tyrannis,

Non Mors, non Vitæ functio, non Satanas.

Nil præsens aliud, nil absens, nilq; profundum,

Nil sublime, nihil quod capit orbis opus.

Ille Amor Ille Patris, quem conciliavit IESVS,

Aeterno nobis tempore salvus erit.

VITA HUMANA.

P*incipium lacrimæ, lacrimæ sunt terminus Aevi:*

Pars mediæ at qualis? quantula? plena malis.

FRUCTVS PATIENTIÆ.

S*is patiens, quùm te fortuna fatigat, & urget,*

Desine nec precibus sollicitare Deum.

Si te trudit humi, quem nuper in alta locarat,

Cogeris & Christi sustinuisse crucem:

Fer mente impavidâ, nec te inconstantia flectat:

Tollere quem sapiens vult Deus, antè premit.

Res indigna homine est, Christi sibi sumere nomen,

Et mala pro Christi nomine nolle pati.

DE FINE MVNDI.

F

Tempus

TEmpus adest illud, quo suprema omnibus horis
 Est speranda dies, est metuenda dies.
 Christe tuis adsis, quia te sine nulla voluptas,
 Te sine nulla fides, Te sine nulla salus.

SYMBOLVM M. SALOMONIS

Frenzelii, Parentis sui carissimi. Quando duplicantur Lateres, venit Moises.

ET si ita cœlestis ferat Indulgentia Patris,
 Ut petar assiduis nocte dieq; malis:
 Non tamen abssistam calos onerare precando.
 Atq; omnes Casus extenuare Fide.
 Tandem aspirabit tandem mihi mollior Aura:
 Moses, quum Pharaon trux onus auget, adest.

ALITER.

Quum nihil auxilii, nil consiliiq; relictum est,
 Pectoris arumnas ingeminante Deo:
 Tum Vis una Precum, fideiq; medela dolorum,
 Certat Olympiacas pervolitare Domos.
 Tum, Deus ó sapiens, ad te prolabimur omnes,
 Et clamore tuam sollicitamus opem.
 Exaudi gemitus, ó Spes, ó Anchora nostra,
 Consilium nobis auxiliumq; feras.

Hac

*Hæc duo quùm dederis, et si fremat omnis Avernus,
Invadet nullus pectora nostra timor.*

SYMBOLVM ELISABETHAE MOIBANÆ, Matris dilectiss. Deus Requies mea.

*C*ura die toto si pectus rosit anhelum
Anxia, succedit nocte petita quies.

*Namq; ego fasciolis lecti mox implico Curam,
Quamprimùm solitas sum meditata preces.*

*N*on quemvis id posse scio: quia pluribus atrâ
Sæviùs infestat pectora nocte dolor.

*I*flameum firmat sed Nomen Gratia Christi:

Namq; DEI dicor, quam dedit Ipse, QUIES.

ORATIO DOMINICA.

*S*ancte Pater, qui templa habitas flammantia celi,
Consona fac precibus pectora nostra piis.

*Da sancto, Deus alme, tuum veneremur honore
Nomen, ut & sanctos nos tibi reddat Idem.*

*A*dveniatq; tuum nostra in præcordia Regnum:
Rex Ecclesiolam magne tuere tuam.

*N*os tua morigeros faciat divina Voluntas,
Caticolum quales efficit Illa coros.

*S*uppedita victum, quæcunq; & postulat usus,
Arceto morbos, bella, famemq; procul.

Da veniam culpa: fac nos sacer Ignis adurat,
 Mutuus ut nostris cordibus insit amor.
 Ne patiare dolis nos irretire furores
 Daemonis: una Fides reprimat hostis opus.
 Morte repentinâ ne præcipitemur, ab omni
 Corporis ac animi donatuere Malo.
 Nam potes: Imperium divina potentia firmat
 Omne tuum: Tibi sit Gloria, laus, & honos.

IN SYMBOLVM SVVM.

E Platone desumptum.

Σ Υ Ν Θ Ε Ω.

Mollis ut aspiret nostro fortuna labori,
 Ordinar à solo non nisi cuncta Deo,

ALITER.

Vnde coruscantes cali versatilis Orbes?
 Vnde tot astrorum corpora, signa, via?
 Vnde procellosum Mare, Tellurisq; Theatrum?
 Vnde hominum formæ tot pecudumq;, rogas?
 An non Mens calo est Sapiens, Mens libera, verax,
 Aeterna, omnipotens, casta, benigna, gravis?
 An non ipsa Parens rerum Natura Satorem
 Agnoscit Dominum, qui regit astra, suum?

Hic

*Hic ergo hic rerum Dominus mihi rebus agendis
Solutus Principium, clausula solus erit.*

ALITER.

*Finis ut inceptas felix comitetur Opellas,
Auspicio nitatur prosperiore DEI.*

ALITER.

*Os mihi qui sublime dedit, calumq; tueri,
Instruxitq; hominem me ratione Deus:
Is fuit, est, & erit mihi Dux, mihi fautor, & Author,
Rebus & ornandis unica norma DEV S.*

ALITER.

*Tu mihi Principium, Deus, & tu Terminus esto:
Sic, quacunq; fruatur sorte, beatus ero.*

ALITER.

*Esse meis studiis quod non inimicus Apollo
Creditur, & faveat Calliopœa mihi:
Cæsareo serpit quod munere tempora circum
Nostra Poëtarum Laurus amœna Decus:
Unica causa DEV S: namq; ipso preside, & ipso
Auspice conficio non male, quicquid ago.
Ille meos igitur post amplificabit honores
Jure Patrocinii, DIVE RODOLPHE, tui.*

F iij

Ille

Ille novercantis fortuna Carcere raptum
 Constituet quondam liberiore loco.
 Ille SVO Vita Sociam mihi tempore junget,
 Quæ sit idem thalamo, Musa quod ingenio.
 Quod si Spes istas secet inclementia Parca;
 Attamen Auspiciis fiet id omne DEI.

ALITER.

Pura Poëtarum qui pectora concitat Oestro,
 Ille est ingenii Fons & Origo mei.
 Ille mihi teneras in vivida carmina Vires
 Sufficit: ille dedit, Mens mea quicquid habet.
 Conferet Ille DEVS mihi plura rogatus habenti:
 Ergo sit & maneat Fons & Origo mihi:

ALITER.

CUM solo Mens nostra DEO conjuncta labores
 Sustinet, & quicquid fata Deusq; ferunt.

ALITER.

Vt Fortuna tonet, fremat, insultetq; quid ultra?
 Pendet ab auspicio Sors mea tota DEI.
 Hoc ego fortuna fremitus & fulmina vincam,
 Et tandem optatâ Conditione fruam.
 Gratia tum demum, multis que prorsus Amicis
 Esse putabatur mortua, Ecœnus erit.

Nullam

*Nullum pœnituit, qui res duce, Et auspice Christo
Gessit, eiq; decens omne dicavit opus.*

A L I T E R.

Auxiliante Deo vitæ primordia sumsi,

Auxiliante Deo Mortis obibo Diem.

Auxiliante Deo surgam redivivus in auras,

Et vivam in calis auxiliante Deo.

A FUTURA VITA EXCLVDENDI.

I. Corinth. 6.

Quem latet, athereas sedes non esse capaces
Agminis, in præceptis quod malus Error agit?

Ab sapitis tandem quicumq;, cavete, cavete,

Orbita ne vestros fallat iniqua pedes.

Polluit obscæno quicumq; in fornice corpus,

Incola Siderei non erit ille throni.

Idolis quicumq; precum decerint honores,

Incola Siderei non erit ille throni.

Alterius thalamum quicumq; subintrat Adulter,

Incola Siderei non erit ille throni.

Sardanapaleo qui perdit tempora luxu,

Incola Siderei non erit ille throni.

Infandos Sodoma qui consecratur amores,

Incola Siderei non erit ille throni.

*Qui bona furtivis aliena paraverit ausis,
Incola Siderei non erit ille throni.*

*Dives Avaritia qui mancipat omnia turpi,
Incola Siderei non erit ille throni.*

*Crapula securum quemcunq; ebriosa fatigat,
Incola Siderei non erit ille throni.*

*In sanctum qui dira jacet Convicia Numen,
Incola Siderei non erit ille throni.*

*Qui vitam tolerat per fasq; nefasq; rapinis,
Incola Siderei non erit ille throni.*

*Hec est colluvies vastum impletura Barathrum:
Ua misero, his infert quem sua Vita malis!*

DIES NOVISSIMA. IOAN. V.

E*Cce venit, venit ecce dies, venit horaq; finem
Dudum exanthlatis impositura Malis!*

*Quò voce excitos tumulis justum ante Tribunal
Sordentes Hados sistet Ovesq; Deus.*

*Tum tandem hæc capient sperata gaudia Vitæ;
Ast illi in stygias deiciuntur aquas.*

EUTURA COGITANDA.

*Quisquis agit Vitam, Vitæ memor esto futura,
Quo minimè credis tempore, finis erit.*

FINIS LIB. I. Epigrammatum sacrorum.

LIB.

Epigramatum diverſi generis.

IN CALVMNIA- TORES.



*Idi ego præſentes qui ſummâ laude notarent,
Omnibus abſentes obruerentq; probris.
His volupe eſt, ſtultum ſtudia in contraria vulgus
Diftrahere, & famam dilacerare bonam.
Vidi ego mendaces tempus breve crefcere tales,
Et vidi inſidiis occubuiſſe ſuis.
Nulla igitur franget me trux injuria, quando
Impetit Auctorem Lingua proterva ſuum.*

IN EOSDEM.

IN *Lingua geſtat DetraCTOR, in aure Satanam,
Qui DetraCTORi commodat auriculas.*

IN EOSDEM AD AMICVM.

P *Arce metu, quòd te clam voce & fraude laceſſunt,
Qui nihil, innocuis præter obefſe, ſciunt:
Nil quibus eſt cordi, quàm ſcindere mobile vulgus
Diſidiis, tectos & glomerare dolos.*

*Idq₃ equi & recti specie, sed consule tempus :
 Nulla unquam improbitas perpetuata fuit.
 Vince igitur litem patiendo, vince dolores :
 Causa triumphabit iusta, favente Deo.*

TVTA RES TACITVRNITAS.

*Non homo, deterior brutis Animantibus ille est,
 Qui nescit lingua subdere frena sua.
 Quisquis, Amice, sapis, digito compesce labellum :
 Exitio nulli conticuisse fuit.*

OFFICIUM IVDICIS.

*Ad clavum quicunq₃ sedes, quas porrigis aures
 Actori, has aequo porrige jure Reo.*

DIVO RODOLPHO II. ROM.
 Imp. semper Augusto Ec. &c.

*Dive Deo sacros, Rex, Caesar, suscipe Versus,
 Quos tenui duxit nostra Thalia stylo.
 Non lusus, non bella canunt, non gaudia mundi,
 Symbolon explanant, Dive RODOLPHE, tuum.
 Premia, vis dicam, mihi quæ satis æqua rependas ?
 Non peto pro vili munere turpe lucrum.*

Gratia

*Gratia pro rutilo mihi nam tua sufficit auro;
 Hanc liceat Musis conciliare meis.
 Omnia me demum summa impetrasse putabo,
 Tu modo Cæsareâ suscipe dona manu.
 Quid ni? si credis, regalibus omnia sceptris
 Munera, utut niteant, esse minora, sat est.*

SYMBOLVM MAG. DO. GVILIELMI
 ab Oppersdorff Liberi Baronis &c.

*VT magis irriguis Plantago virescit in hortis,
 Conteritur plantis quò magis illa pedum:
 Sic magis atq. magis revirescit vulnere virtus,
 Et verè constans in probitate suâ est.
 Nil moror ergo dolos hostis, nil arma, minasve,
 Providus à nostrâ stet modo parte Deus.
 O mihi fata favete! virescet vulnere virtus,
 Et crescet meritis Mens animosa suis.*

IN INSIGNIA D. TOBIAE
 Lindneri, Senatoris VVratisl.

*STirps tua qua gestat clypeo Galeaq. Leonem,
 Participem laudis te facit ampla sua.*

G ij

Rex

Rex Leo quadrupedum signum est regale virorum,
 Quos mens & Virtus bellica laude vehit.
 Hanc olim Geticis deporta vere triumphis
 Majores, vitam ducis & unde genus.
 Sed tu, qui Phœbi, non Martis, castra sequutus,
 Quo, Lindnere, Patrum præmia jure geris?
 Optimo: ut es clarus laudati nominis haeres:
 Heredem sic te gaudet habere Leo.
 Nempe animus fortis, constans, placabilis, altus,
 Fertilis, ingenuus, providus, atq. gravis:
 Sed tria quid Tiliæ folia ungue Leonis adumbrant?
 Hæc demum Ingenii sunt documenta tui.
 Circa edes plerumq. sacras Tilia ardua latè
 Ad calum tendens brachia stare solet.
 O pulcra nota pulcra Rei! Te sanctius ecquis
 Integrâ Christum Religione colit?
 Sed quos non phæbo, Tobia, decernis honores,
 A quo doctrina fertile pectus habes?
 Ut Tilia expandit ramosa nepotibus umbram,
 Vnde odor ambrosius defluit, unde liquor:
 Sic umbram gaudent sub te captare locumq.
 Pierides, tua que nomina laude vehent.

Inde

Inde trium indicio foliorum atq; ungue Leonis

Nascentur studiis commoda terna tuis.

Tu divinatio, quæ, qualia, quanta? fateri

Ingenuus prohibet me pudor ante diem.

IN INSIGNIA MARTINI

Kinneri à Scherffenstein, in

VVissag &c.

SI quis Casareo meritò inclarescit honore,

Te jure indultu Caesaris armat bonos.

Si quisquam titulos sorte & Virtute tuetur,

Te Galea, & meritò fulva corona decet:

Cesar dat titulos: Deus incrementa Bonorum:

Non bonus es, si non te petit Invidia.

IN INSIGNIA GREGORII

Rhenani.

*G**Ryphe animal pugnax nidum sibi fabricat auro,*

A furumq; manu grande tuetur opus.

Lilia magnorum sunt ornamenta virorum,

Inter prata, inter sueta virere lacus.

Hæc cum Gryphe tui, Rhenane, Insignia quòd sunt

Nominis, aut fuit, aut (ut reor) omen erit.

*Inter aquas, hoc est, infida pericula vita
Fortuna variis afficiere minis.*

*Quòd tibi si fures fama melioris (ut usu
Sape venit) fraudes insidiasq; struent:
Gryphs adhibere animum moneat: Victoria Gryphi
Propria semper: ovans tu quoq; Victor eris.*

IN INSIG. PAVLLI GITSCHINSKI.

*SI Regem fecit, Regem obtinuitq; Leonem
Inter tot rabidas Mens generosa Feras:*

*Si ruber ingenua mentis, si flavus honesta,
Ceruleusq; pia est norma Decusq; color:*

*Si candor clypei candorem mentis adumbrat,
Postremus color hic debuit esse prior:*

Candida si virtus famæ laudabilis Ala est,

Quæ per terrarum regna, per astra volat:

*Te Leo, te quadruplex meritò color, Alaq; duplex
Nobilitant, laudis publica signa tua.*

IN V I D I A.

*IN vidia tantum si flamma capesseret astum,
Quantum ignis, ligni gratia nulla foret.*

IN

ENCOMIUM PACIS.

SI quid in humanis pulcrum est atq; utile rebus,
Pax est, pax studiis nata, retenta bonis.

*Aurea pax dicta est à Uate: ab aurea cur non
 Res esset, gemmis quæ preciosa magis?*

*Pax juris nervus, pax major laude, triumpho,
 Imperio, justo Marte, polo atq; solo.*

*Pax genus humanum ditat, pax congregat urbes,
 Pax firmat sanctum Religionis opus.*

*Quid multis? celi sunt Cuna pacis amica:
 Omnia pace vigent, omnia Marte ruunt.*

DE EADEM ET COMITIBVS.

*D*ivitias Regina parit Pax optima rerum,
Divitiæ fastum corde tumente serunt.

*Fastus probrâ parit, Lis probris, Lite mouetur
 Bellum, bellum omnes protinus haurit opes.*

*Paupertas humilem facit omnibus obvia mentem:
 Mens humilis pacem, Paxq; reportat opes.*

GE. VVOLFIO DE BIBLIOTHE-
 câ Musicorum.

Har-

HArmoniá insignes tua quò modulante Magistros
 Penè quadringentos Bibliotheca capit:
 Musica majori te censet honore colendum,
 Centauris Volffi quò minus illa placet.

OBLIVIO REMEDIVM MALI.

QUÆ pateris, perfer: grata est oblivio rerum:
 Oblitum esse mali, Ianua prima Boni est.

IN FICTVM AMICVM, LV- dentem ambiguitate Vocabu- li Insolentis.

EHò me, Sciole, hospitem insolentem,
 Dicis? nunquid amas ob id videri
 Argutusq; simul, simulq; acutus?
 Hoc ultra fateor: nego sed illud.
 Non arguta tua est, acuta lingua;
 Pungit, non loquitur, sed heus, Amicum.
 Dictis ambiguïs adire, amici
 Non est ingenui, sed insolentis.

CHRIST. FIRX EQVITI LIVONO,
 de justificatione disputanti.

Scita

S Cita adeo amplecti te sacra quid audio, Firxi,
E cathedrâ claris ut tueare sonis?

Ordinis oblitusne tui es, cui turpius hoc est

- Tempore nil, artes quàm didicisse bonas?

Non satis est, à nobilibus differre quibusdam

Moribus, ingenio, sobrietate, fide?

Vis ornare, fovere, augere tot inclita dona?

Nobile vis studiis condecorare genus?

Rara Avis, Et penè es miraculum hoc tempore Firxi:

Sed tibi quæ major laus superesse potest?

VALEN. DRESLERO CON-
 fliario Brandenburgico.

S Agrâ Valentino Lux leto sole peracta est:
Lata Valentino sæpe sit illa meo.

VERA NOBILITAS.

Ad Andræam Reufs. Secretarium VVratiss.

*Q*uid Virtutis egens ornatus Nobilis armis?
Ipse suo Generi dedecus, Ipse sibi.

Quid, cujus virtus altè luceſcit in armis?

Ornamentum ingens ſtemmatis Ipse ſui.

H Afflectant

*Affectant multi ventoso insignia fastu,
 Quos, quid Nobilitas sit genuina, latet.
 Te verò Andraea, quem res bene gesta tuetur,
 Caesareus meritò nobilitavit Amor.
 Arma tua illustrat Virtus, rumpantur ut illis
 Flia, Majorum qui rude nomen habent.*

IN CONVICIATOREM
 Poëtarum.

*Qui fatuos dicis Vates, quis dicis? an ille es,
 Quem fatuum Vates nobilitare solent?*

DE SPENDIDA DOMO IOAN.
 Lauterbachii Poëtæ CL.

QVI SINT POETAE, QVI NON.

*Hanc pulcrâ lapidum structurâ duxit in altum,
 Purbachus, felix arte poëta, domum.*

”Mentitur, quisquis sic asserit: iste poëta est,

” Ergo furens, mendax, luxuriosus homo.

*Quòd quidam, & multi nomen sublime poëtae
 Audent obscæno dedecorare luto:*

Sunt

Sunt ideone omnes infami labe notandi?

Panam insons fontis propterea ne luat?

*Dic mihi, quicumq; es, Dialectice acute, quis usquam
Ignavum Fucos non habet ordo pecus?*

Sunt passim audaces, ebrii, insaniq; poëta,

Carmina qui mingunt, carmina quiq; cacant.

Heus tamen & plures felix Germania Vates,

Quorum it cum studiis congrua Vita, fovet.

” *Illos liberior Genius (quia percitus Oestro)*

” *Non rabies servæ sordida mentis habet.*

” *Illos Sobrietas opibusq; & moribus ornat:*

” *SOLA facit Vates Mens operata Deo.*

Quos inter laudes has Lauterbachius auget,

Patria, amore, fide, junctus & arte mihi.

Scripta probant ipsum jam pridem à morte poëtam

Immunem, soli scripta dicata Deo.

Hinc morum probitas, fortunâ teste, patescit,

Et dignas tanto Vate tuetur opes.

Vulgatum ut partâ Re confirmaverit illud:

ÆDIFICAVIT ovans ecce poëta Domum!

Eminet hæc longé murisq; focusq; decora,

Et fit paulatim pulcrior Invidiâ.

*Neccarides tectis Musa spaciantur in altis,
 Cellam habitat multo Nectare Bacchus olens.
 Omnes unius quicumq; ergo aestimat assis:
 Vate vel hoc solo victus & ictus erit.*

VOCES HARMONIAE MUSICAE. BASIS.

*M**usica concentus nostræ fundamine vocis
 Fingit, ut haud resonet me sine dulce Melos.*

TENOR.

*H**armonia mea Vox anima est, gaudetq; virili
 Guttore, & hinc medio ducta tenore sonat.*

ALTUS.

*A**lta voce vagor per tot discrimina vocum,
 Me, sine Naturæ munere, nemo canit.*

CANTUS.

*D**ulcescit demum modulamine Musica nostro,
 Et sine me nulla est gratia, nullus amor.*

NO-

NOBILI LITERATO NIHIL esse honoratius.

Ad Casp. à Rechenberg Academiam
adeuntem.

*C*Um sis Teutonicas nunc accessurus Athenas,
Digne loci genio Caspar, honore Schola:
Gratulor adductus, quo te complector, amore,
Speq; Tui accensus fata secunda precor.
Spes jubet, urget amor, causasq; habet iste latentes,
Quas te sincero pectore nosse decet.
Quò seculo extremo pejoribus utimur annis,
Et quò etate modò floridiore vires:
Hòc magis impensè decet impallescere Musis,
Temporis hòc gravior cura gerenda tui.
Nam si paupertas tantùm adstringenda Camenis,
Solutus est pluto Nobilitatis honos.
Quæ facies Aulis? quæ norma futura regendis?
Barbaries toto quod seret orbe chaos?
Si non vere novo fecundos conseris agros,
Quenam autumnali sidere Messis erit?
Quid moneam, assequeris, vis spem superare tuorum?
Nitere consilio, nitere laude Patris.

H iij

Faxit,

*"Faxit, Amice, Deus: si quid sub sole decorum
Est, qui claret Avis, qui simul arte nitet.*

M. IOAN. ALBINO PROFESS. LIPS.
de donato Virgilio.

*V*IRgilii rapuit divina Poëmata Vatis
Fur mihi, dum gelidum carpo Viator iter.
Virgilii donas, Albine, poëmata Vatis
Tu mihi, ut aeterni sint monumenta animi.
Aut igitur Vates Maro non est maximus, aut me.
Tu prorsus magno munere, Jane, beas.

ORDINIS VSVS.

*O*Rdo gerendarum Norma est, & Regula rerum:
Ordo ubi pulcer abest, turpe chaos volitat.

QVI SINT VERI ARTIVM MA-
gistri, De Samuele Reinhardo.

*R*einhardo Aonii princeps Sophia inclita Regni
Straverat ad summi culmen honoris iter.
Sapius hoc Reinhardus iter neglexit, & inde
Ingrati est visus nomen obire Viri.
Exposuit causam mihi divus Apollo roganti:
Segnicies non hac est Samuelis, ait.

Bestia

*Bestia sed stulti dissuasit OPINIO vulgi
Dulce Magisterii munus obire novi.*

*Inquit enim: non floret bonos, qui floruit olim,
Voce Magistrorum dum latus omne strepit.*

*Clarus eris, si doctus eris: caruisse Magistri
Nomine, laudata est nunc gravitatis opus.*

*Audit hac Sophia irato sic pectore fata:
Bestia cum Vulgi Fece recede procul.*

*Noster honorato Reinhardus nomine crescet,
Et sine te clarus, te sine doctus erit.*

Quos dicis strepere, es tu quondam enixa Magistros;

Gens mea non quovis invenienda loco est.

MICH. REICHARDO V. CL.

M^U*sicus es, Reicharde, bonus, Citharædus es idem,
Es bonus orator, deniq; Vir bonus es.*

*Mirarer tot dona, nisi tua Patria nolle:
Ratisbona bona est: cur? parit illa Bonos.*

DE MUSICA.

Amor docet Musicam.

*UT Resonet, Mirè Faveat, SOLvatq; LABores
Musica, Vis Sola In Cordis Amore latet,
Viros*

VIROS DOCTOS IN SENATUM
adsciendos.

D. Tobiaë Lindner à Gröneich.

IN quo concertant Doctrina, atq; amula Virtus,
Nonne Senatoris dignus honore foret?
O benè prudenterq; actum, quòd curia Bressæ
Consiliis socium te facit alta suis!
Quod superest, dubitat Lindnere Thalia, tibine
Gratari potiùs debeat, an patriæ?

PRIVS SATISFACIENDVM AMORI
literarum, quàm Veneris.

De Melch. Gerlachio.

NVper casta Venus, non illa Poëtica Cypris,
Grynao est tali voce locuta patri:
Phœbe, satisne diu tua castra chorumq; sequuto
Nunc mea Gerlacho Regna subire licet?
Nil artis, nil laudis habes, quod Melchior iste
Indultu obtinuit non, Pater alme, tuo.
Ergo meis nondum manibus submittis Alumnum?
Qui te dignus erat, me quoq; dignus erit.

Scis

*Scis me, Phœbe, tuo medicamina ferre rigori,
 Et contermina scis castramea esse tuis.
 Huic Pater: alma Venus, quando discordia nata est
 Nos inter? tuus est Melchior, estq; meus.
 Sed placidâ fer mente moram: tibi carior olim,
 Quàm sperare potes, noster Alumnus erit.
 Quod nostro Arbitrio nostra ditionis ad Albin
 Continuet sancto Numine, restat opus.
 Restat, & ut ceptos sic sic integret honores,
 Adjungas precibus talia Vota meis:
 Docte, modeste, probate, tenelle, venusteq; Fili
 Carpe viam Christo preside, carpe viam.
 Noster es: hinc nostros si perpetuabis honores;
 Dicemus: Cælum terraq; munus habe.*

TEMERE NON FIDENDVM.

ANtè vide, quàm fide, fide quis dignus? & inde
 Elige, cui dicas: Tu mihi certus eris.
 Namq; vides, quòd saepe fides est frigida: cautè
 Fides ergo, vides quando, ubi certa fides?

ALITER.

f

Improba

IMproba ventosa noceant ne toxicalingua,
 Fidere disce parum, vivere disce tibi.
 Lingua Malum mala, lingua Bonum bona (credito) su-
 Omnib hac prodest, omnib illa nocet. (mū est:
 Quantò hac est illā melior, sapientia tantò
 Major, utramq, aliquā si ratione regis.
 At quali? ut vivas tantum tibi: sed duce Christo,
 Hoc Duce non alius, nec tibi fide satis.

OPTIMUM QVEMQ. OBNO-
 xium esse calumniæ.

Ad Florianum Daulla Fürstenberg.

CVr mirare, facete Floriane,
 Quòd te COLLIBII tot incitati
 Fortuna furiis subinde vexent,
 Accusent, jugulent, calumnientur,
 Cum stes impavidus, senexq, Vitam
 Ducas incolumem fremente Catto?
 "Non est iudicio meo bonus Vir,
 "Quem non tela petunt calumniarum.
 Quem doctrina, genus, parensq, Virtus,
 Ut te, nobilitant, triumphat, hostes
 Ridens Collibios, putresq, Cattos.

MELCH.

MELCH. TILESIO. V. CL.

Iudice me parvum spondes Epigramma, Tileſi:
Sape ſub anguſto Carmine multa latent.
Aſt aliud audi: nuper mihi Phœbus in aurem,
Succenſere tibi ſe vehementer, ait.
Urgeo quid cauſſæ? quia ſe non pangere dicit
(Ille refert) viſu carmina digna tuo.

POENA OBTRACTATORVM,
& auditorum.

Obtractatori, quiq; huic accommodat aures,
Arbitrio ſi ſit pœna luenda meo:
Pendeat infami trabenexus uterq; neceſſe eſt:
Lingua ille, at patulis auribus iſte ſuis.

VITAM RVSTICAM ESSE LABO-
 rioſam. M. Steph. Henelio.

Ecquid, ó Heneli, rarum mihi percutit aures,
Te cinctos muris linguere velle Lares?
Urbanine ſatur ſtrepitus Viridaria gaudes
Liberiore boni ruris obire gradu?
 "Cuiq; ſua arriſcent, trahit & ſua quemq; Voluptas:
 " Vota aditum, ſinem provida fata regunt.
 J ij Inceptum

*Inceptum fortunet iter studiumq₃, quod urges,
Cui tua sunt curæ fata precesq₃, Deus.*

*"Delicias equidem spirat sors rustica: sed sunt
Rure tamen curæ, Gensq₃ domanda fera est.*

"At pia nos quò fata trahunt, retrahuntq₃ sequamur:

"Ipse suos clemens ducit alitq₃ Deus.

*Nec dubita, Ductore Deo, te figere sedem,
Cui curæ est hominum morte redempta Salus.*

"Si Doctore pio Gens indiget ulla graviq₃,

"Crede mihi, hoc studiis dedita Ruris eget.

DE CONTEMPTU BONA- rum Artium.

*T**Empus erat, panis doctâ quando arte careret,
Nunc Ars (vah tempus nobile!) pane caret.*

*"Patria dat vitam, rarò dat patria victum;
Patria cuiq₃ sua est, est ubicunq₃ bene.*

GE. VVOLFFIO DE NATO Filiolo.

*A**ltera Dos thalami, Generis spes altera, Vvolffi,
Filius est casto te Genitore satus.*

Dum

*Dum Theodorus humū subit, en Godefridus in auras
 Prodit, & extinctum suaviter ore refert.
 Vna via ad celum, velut unus sanguis, utriq; est:
 Seriùs insistat sed Godefridus iter.*

DE ACADEMIIS.

*M*undum non vidit, qui non, Academia, vidit
Te, tua jura, artes, gaudia, sceptrā, Viros.

NERVVS AMICITIAE PIETAS.

*T*res animo, sine fraude, pares concurrere vidi:
Tres junxit pietas, tres retinebit Amor.

AMICO PROBATISSIMO
in re incertā.

*M*E verò ne me, ne desere, desere ne me,
Dum licet, & fidei norma probanda venit.

*Nobile patroni pro Re, pro tempore nomen,
 Qui potes, optat á promere aris ope.*

*Gaudebis, quum nostra tuæ certabit apertā
 Mente fides: potes hoc credere? salva fides.*

D. MART. KINNERO,
 De Comœdiis Frischlini.

FRischlini mitto tibi Comica scripta Poëta,
 Ex Cerebro Plauti quem reor esse satum.
 Crede mihi, hac nunquam te perlegisse pigebit :
 Discutient curas quippe lepore tuas.
 Dixeris: Artificem Genus istud Carminis Aevò hoc
 Non habet ingenio, non habet arte parem.

INCONSTANTIA AMICORVM.

Permutans Fortuna vices permutat Amicos,
 Et fervente Ollâ fervet Amicitia.

IOAN. CVCHLERO Senat.
 Oppavienfi. Epithalamion.

Despondisse tuam sociali fœdere Natam
 Florenti Viduo, publica fama refert.
 Quòd si vera refert, age faxit Fœderis Author,
 Cuchleri crescat prole & honore Genus.

INIVRIAS PATIENTER
ferendas.

Res famamq, tuam quoties injuria carpit,
 Cur animum offensum, quisquis es, ira coquit?
 Tene

*Tere hujus seculi comites, Iuda Oscula, risus,
 Scommata, techna, artes, insidiaq; latent?
 Dic, quos non fortis Patientia straverit hostes?
 Dic, impune diu qua stetit impietas?
 Aut igitur vim disce omnem superare ferendo,
 Posse sibi aut seculum dissimile esse, proba.*

IOCVS INVITATIONIS.

Ad Amicum.

A *Vt igitur repetas aditum piger, aut citò nobis
 Incipe Iudicio displicuisse T v o.*

IOAN. FROBENIO Affini.

E *Cce redux assum, Frobeni, corpore salvo,
 Longum emensus iter flexibilesq; Vias.
 Cras primà cum luce meos remeabo penates:
 Si me vis hodie cernere, Iane veni.*

ANGELOS BONOS BONIS præsto esse.
 Ad Martinum Kinnerum &c.

A *Vsa quòd eripere est tibi presentissima Vitam,
 Immerso rapidis mors violenter aquis:
 Ne tacitum tibi finge Omen Kinnere: sed illud
 Disce, quis è mediis te revocarit aquis?*

Hoc

Hoc opus, hic labor est, hæc consuetudo Tonantis,
 Quos amat, hos miris casibus obruere.
 Quò propior morti sub aquis, Kinnere, fuisti:
 Hòc major de te cura subinde DEI est.
 Nec doleo hunc casum, sed lato gratulor ore:
 Quòd si vis omen; Pons, Equus Vnda dabunt.
 Precipitatur Equus de ponte, immergeris undis,
 Et tamen è medio Gurgite saluus abis.
 Fortunas docet unda tuas: pons. Regula Verbi est,
 Et delasus Equus prompta tenaxq; fides.
 Evasisti undis? tibi sors superata malorum est:
 Ponte cadis, Verbo nitere, tutus eris.
 Fidum Animal generosus Equus: ne te male casus
 Deprimat, è verbo fidere discite DEO.
 E tribus his unum, Martine, tibi auguror Omen:
 Optima Fortunam fata manere tuam.

EIVSDEM ARGVMENTI AD
 Eundem in alio casu.

Sic bonus atq; malus Mortalibus Angelus astat,
 Vt certa incertis sunt, mala mixta bonis.
 Adducunt Exempla fidem creberrima, puncto
 Sæpe salus uno perniciēsq; venit.

Cum liquefecit edax pingues flamma unguine ceras

Somno spiritibus te superante suis :

Angelus afflavit nocituros pessimus ignes,

Hausissetq; tuas, si potuisset, opes.

At rursus, Kinnere, tibi bonus Angelus Aurem

Vellit, & admonuit, jam titubasse Lares.

Nec potuit bibulam candela vorare papyrus.

Ulterius, mensa nec tabulata tue.

Sic securae quies dum pectus & ossa pererrat,

Pronostris vigilat calica turma focus.

O mites Superos ! faceret si functio munus

Nostra suum, mala fors nulla timenda foret.

IN MOPHANVM SUPERBVM.

Mophanus pauper fuit, & surrexit in altum,

Vt rueret, flatu cepit, & ecce ruit.

STRENA, AD D. IEREM. BEHMEN

Consil. PP. Moniterb. & Olsnensium.

Qua non te, gemini Antystes aequissime Iuris,

Absentem videam, vix abit ulla dies.

Ne vivam, si non vox hac est consona menti,

Qua te contueor, quaq; subinde fero.

K

Nempe

*Nempe tua id nuper perspecta scientia rerum,
 Et Virtus omni major honore facit.
 Utq; argumentum capias: tibi strenula voto
 Mittitur (haud munus vile) probata pio.
 Nam precor, ut Christus, cujus flectentis eunt Res
 Numine, in hōc Anno te, velut antè, tegat.
 Conserve't sanos in sano corpore sensus,
 Et tueatur, habes quicquid, alente manus.
 Cetera, quæ nolim hoc anno tibi fata secudent,
 Fortunent nullo tempore fata mihi.*

NOB. V. NICOLAO
 à Franckenstein.

*Q*uem Genus evexit, Virtus ornavit, Apollo
 Erudiit, ditat sors bona, Christus amat:
 Quid precer huic ultra? nisi tempus molle: Tibi annū
 Francsteni hunc Author sospitet ergo Deus.
 Ast ego quid tempus tibi subijcio fluidum, quem
 Stirps, Virtus, Phæbus, Sors, Deus ipse fovet?

IN POESIN MEL. SEVERI,
 Poëtæ & Viri boni.

TE Schola docta sibi prognatum dicit, & illud
 Approbat ingenii dexteritate tui.

Digna tuo Senio, genio, ingenioq₃, Severe
 Gloria: sacra doces ore, stylog₃ probas.

IN LABORE LAVS.

Vivere non meruit, refugit qui pensa laborum,
 Omnibus hei fucis unica prestat Apis.

ANIMI MAGNANIMITAS.

Ne desponde animum sub iniqua mole laborum,
 Quin dic; quod valeam vincere, fata date.

MART. KINNERO. A SCHERF-
 fenstein. Invitatio ad Encoenia.

MOs patribus geritur priscis: Encœnia nempe
 Jam redeunt Aedi festa dicata sacra.

Nulla superstitio, nisi consuetudo remansit,
 Gaudia devotas inter inire preces.

Hinc genio gaudent nostri indulgere penates,
 Convivasq₃ jubent accelerare gradum.

K ij

Sed

*Sed quos? tres Charites, Phæbumq, novemq, sorores,
 Quig, verecundâ Numina mente colunt.
 His, Martine, Ceres famulatur simplice cultu,
 Sed, quod te cupio noscere, Bacchus abest.
 Num tua, vel cujus nostro præcluserit ipsum
 (Nam precio capitur) nescio, Cella Lare?
 Sed te, seu veniat, seu non, invitat Apollo,
 Quæq, favet campis spicea Diva tuis.
 His eris Hospitibus gratissimus Hospes, & inde
 Lauticias capies, quas tibi mensa dabit.
 Ergo veni, & votum nostris superaddito Votis:
 Hæc fuerint humilis fercula prima foci.
 Fors, ubi tam pulcræ spectabit adesse cætervæ,
 Non procul hinc liber compede Bacchus erit.*

SAMVELI HORN FILIO.

*C*Ornu nomen habes; ferias, quos improb. error
 Non sinit officii commeminiſſe sui.
 Hinc fluet, & meritò, de nomine, Copia Cornu,
 Atq, ita quod nomen predicat, omen erit.

GEORGIO DONATO

Epithalamion.

Tem-

*Tempeſtiva capis qui ſacra munia Vita,
 Tempeſtiva tori gaudia jure capis.
 Tempeſtiva Deus velit eſſe, ſatisq; Georgi
 Proſpera fata tibi, proſpera fata tuis.
 Vive Deo primum, dulci poſt vive Marita:
 Namq; DEI prima eſt cura, ſecunda tori.*

D. MART. KINNERO.

*SI te non piget eruditioſem,
 Tyronis dare vocibus tenelli
 Aurem; cras ſtudiis adeſto noſtris,
 O Martine tue Columna Gentis.
 Tu verò, ut faveas tibi, faveto
 Celum fronte mihi ſereniori.*

VERITAS.

In Idyllion de Lauro.

*NOBILE conqueritur VERUM, quòd porrigat aures
 Nemo ſibi: Involucris ſe petit ergo legi.*

MATTHAEO DOMARACIO

Viro pio, de Nomine.

HÆc est Matthæo, cujus tu nomine gaudes,
 Festa dies, oculis sæpe videnda tuis.
 Id faxit vitæ dispensans tempora nostra,
 Cui tua Vita placet, Religioq; Deus.
 Vive DEO Matthæe diu, tibi vive, tuisq;
 Tuta sit ut precibus Concio sanctatuis.
 Exulet infirmo de corpore morbus, ut illud
 Sic bene sit sanum, mens uti sana tua est.
 "Unius exitium veluti scelus attrahit Vrbi,
 "Unius Urbs sæpe est sic prece salva pii.
 Leta eat hac igitur Matthæi nomine gaudens
 Sæpe dies Genio post peragenda tuo.

PAVLLO GITSCHINSKI
 de nato Filio.

VRsula quod Conjux pia, blanda, pudica, decensq;
 Te rursum Patrem fecit, Amice, probo.
 Sic equidem, ut toto tibi pectore gratuler, esse
 Prolem ortam sexu de meliore tibi.
 Vivat Iacobus referens te, Paulle, parentem,
 Gestibus, ore, animo, moribus, arte, fide.
 Ursula vivat amor tuus unicus, Ursula vivat
 Sancta puerperio sæpe futura novo.

Vivat

*Vivat, Paulle, tuum Genus, & Gitschinskia Proles,
 Per quam posteritas crescat in arce DEI.
 Ut sed Iacobus, simul Vrsula vivat, & omnis
 Proles, vive tuis tu quoq₃, Paulle, diu.*

AD FORTVNAM.

*O Fortuna Spei nostræ expergiscere tandem :
 Sat somno, Invidia, pollicitisq₃ datum.*

CVRSVS VITAE.

*Ascendo, ut rursus descendam; adolesco, senescam;
 Floreo, ut arescam; vivo, brevè ut moriar.*

QVOMODO SIBI FIDENDVM.

*Nec tibi fide satis, sed nec diffide : modus sit,
 Esto aliquid, sed non protinus esto nihil.
 Nec totum esto : pecus namq₃ illud, beluaq₃ hoc est;
 Es quod, homo neutrum : fidere disce parum.*

LVXVS PRAECEPTS.

*IN menses sese, inq₃ dies absunit, et horas
 Luxuria, utq₃ ultro corruat, arma parat.*

AMICI

AMICI RECUPERANDI.

*SI fortuna tibi vel casus ademit Amicum,
Hunc omni studeas conciliare modo.*

*Non odia irrorare odiis gliscentia pergas:
Verba animi potiùs sed profitere boni.*

QUANTVM DOLORI DANDVM.

*Sicut homo, prudens admitte: & vince dolorem,
Sicut homo: utq; ruant omnia, cede nihil.*

ABSTINENTIA.

*QVid tua Nobilitas, quàm recte vivere? quàm tu
Magnus eris, tam scis pauca licere tibi.*

VOLVPTAS PERNICIOSA.

*SPerne Voluptates, sequitur quas affecula mœror,
Spicula supponit mox, ubi mella tulit:
Est omni precio majorq; minorq; Voluptas:
Hanc nihili facies, si generosus homo es.*

VIRTVS AETERNA.

*Fertilis Ingenii Nutrix est lactea Virtus,
Pulcher Is, & dives, cui favet illa, sat est.*

Ecquid

Ecquid opes fluidæ, quas crastina fata laceffunt ?

Quod durat demto fine, fuisse reor.

Semina Virtutis moriente libidine vivunt :

Non erat id, quod erat, si quid abesse potest.

NIL SEMPER LATET.

*CLam nil esse Deum, genius quum prurit iniquus,
Crede; domi quod ages, esse putato palam.*

FORTVNA INCONSTANS.

*VTere fortune Zephyris sapienter : utrinq;
Incuit incantis mentibus illa metum.*

*Tantum auferre potest, dare quantũ munus habendũ :
Ab habui quidnam est dicere ? Verba volant.*

AMICORVM DELECTVS.

*N**Ec tibi sit, quicumq;, aliquis sibi nescit Amicus
Esse; nec ille, nimis qui sibi Amicus erit.*

NIMIA FAMILIARITAS.

*S**I superare voles discrimina plurima rerum,
Et morsus animi telaq; seruatui :*

L.

Nulli

*Nulli te nimium nulli te junge sodalem:
Vilescit nimis usibus omnis amor.*

FAMAE IACTURA.

*Non gravior jactura, boni quàm Nominis, ulla est:
Hæc desperati Mors inhumata Viri.*

INFORTVNIA ALIORVM,
Documenta.

*Tu casus metire tuos graviore ruinâ,
Et, graviora tibi damna deesse, scies.*

MISERIS NON ILLVDENDVM.

*Cum Natura Parens, Fortuna Noverca sit atrox,
Nullum temne, cui fors minus aqua venit.*

ADVLATOR FVGIENDVS.

*Si quis adulator tibi multa susurrat in aurem,
Credere aliis primum, quàm tibi; crede parum.
Quantum blandiloquo mellis promanat ab ore,
Tantum pestiferi cor leve fellis habet.*

CVLTVS VIRILIS.

Esto

ESto Vir, haud Mulier, cui forma Virilis, & aetas:
Mundum linque aliis: nam sua quemq; decent.

LAVS VIRI VTE PARANDA.

SI non es meritis, quibus exornaris, honores:
Fac posthac studiis promerere bonis.

IN NOMENCLATURAM Amicorum suorum.

Quùm ferus in patriis vastaret finibus hostis
Igne, manu, stupris, oppida, rura, domos:
Hei mihi tum capto misera inter parva Pizina
Mœnia surripuit Sarmata fortè Librum:
Quo consignarant propriis sua Nomina dextris
Symbolaq; illustres stirpe animoq; DVCES.
Pignus Amicitiae quòq; immortale locarant
Arte Viri insignes; Lumina Teutonia.
Ab quoties illum quoties evolvere juvit,
Quùm peteret mentem sollicitudo meam!
Nempe animo repetens annos hinc inde peractos
Discussit curas protinus ille novas.
Non secus ac fulgens Phœbea Lampadis ardor
Nubila mox radiis discutit atra suis.

*Esset ut ergo mihi talis medicina deinceps,
Succesit codex illius iste loco.*

*Nunc veteres, pariterq; novos invitat Amicos,
Ut dent victura pignus Amicitia.*

*In promptu caussa est: nec enim discrimine nullo
Colligit ignotas degeneresve manus.*

*Hunc sibi sed servet vult vulgus futile morem,
Alloquiturq; bonos talibus ille Viros:*

*Cujus dextra notas hic pingit, congrua cordi
Fingat; Amicitia tale probatur opus.*

IN SVPERBOS.

O*Mne tumens Animal stultum est, stultum omne
(superbum:
Quid sit homo, queris? dic mihi, BULLA quid est?*

PHILAVTIA FUGIENDA.

N*ullius arguti sublimis Opinio mentem
Fascinet ingenii, nascitur unde tumor.*

*Si quis, quod confert Sapiaientia, Nomen adoptat,
Quàm sapiat, stultus fiat Is antè puer.*

*Splendida si quid enim tumidi est Sapiaientia Mundi,
Stulticia est tantùm futilis ante Deum,*

FUGIENDA FORNICATIO.

AN nescis, Templum quòd sis sublime sacrati
 Flaminis? hoc violans, nonne Deum sceleras?
 Quòd si precipiti tua membra libidine fœdas,
 In corpus peccas turpiter, inq₃ DEV M.
 Atq₃ ita mox Satana sis detestanda Cloaca,
 Qui fueras sedes nuper amœna DEI.

DESUPER AUXILIVM.

Respice Mens sursum mea, & istic quere salutē,
 Namq₃ ea de calo, non aliunde, datur.

IACOBO CHIMARRHAEO S. C. M.

Eleemosynario, Præposito Ratiboriensi,
 & Canonico S. Gereonis
 Colonienfi &c.

Nullus Amicitia tecum licet hætenus usus
 Chimarrhae mihi, doctæ Poëtæ, fuit:
 Delectata tuo tamen ingenioq₃ stylog₃
 Musa tuas audet nostra subire Lares.
 Teq₃ Novenarum communi jure sororum
 Freta salutatum, quo decet ore, venit.

L iij

Nec

*Nec fore te primum doctos putat illa tot inter,
Qui velit accessu se prohibere novo.*

*Fronte verecundâ quin teq^{ue} tuamq^{ue} Poësin,
Musice, Vir, Vates optime, tota colet.*

ILLVSTRISSIMIS PRINCIPIBVS,
AC DOMINIS, DOMINIS: MAXIMILIANO,
PHILIPPO, FERDINANDO, Fratribus:
Palatinis Rheni, utriusq^{ue} Bava-
riæ Ducibus.

ET

CHRISTOPHORO GVSTAVO, CAROLO,
IOANNI CAROLO, Fratribus, Marchionibus Ba-
densibus, & Comitibus in Spanheim.

Pro felici studiorum inauguratione factâ Ingol-
stadii, in nobilissimo consessu.

APOLLO AD ACADEMIAM.

E*N patria patres summâ cum laude futuros,
Ornamenta mei jamq^{ue} futura chori:*

*Tres de stirpe Duces, tres magno stemmate natos
Legibus Heroes subijce lata tuis.*

Hic

Hic Amor illorum est, tuus hic, Academia, cultus :

Hos redama, & felix hic tibi cultus erit.

Nullus in his, studeat quin emulus esse Parentum :

O mibi dent tales saepius astra Duces !

ACADEMIA SVO APOLLINI.

T*empora, Phœbe pater, longeva parentibus opta,
Si vis, ut tales dent tibi saepe Duces.*

*O utinam ó multos felix Germania patres,
Cura quibus sobolem prima docere, ferat !*

*Curia florebit, florebunt pulpita, surget,
Esse videbatur qui modo lapsus, honor.*

*Et nisi spes fallit (sed enim me fallere nescit)
Per sex hos aliquis restituatur honos.*

*Aemula gens patrum est : Patrum notissimus ardor :
Hinc mibi commendas quos Pater, esse probò*

*Tres claro de stirpe Duces, tres sanguine cretos
Principe Marchiones, sex super astra faces.*

IN DOMVM CL. V. ABRAHAM

*Schvvalbii Med. Doctoris, utriusq; Ducatus
Opoliensis & Ratibor. Physici
ordinarii.*

Cepisti

*C*Episti hospitio qua me penetralibus altis,
 Salve iterum, atq; iterū pulcra valeto Domus:
 Pulcra quidem per te, sed pulcrior hospite claro,
 Cui vetus, & tenerum nomen Hyrundo dedit.
 Ex merito quem nemo potest odiſſe, niſi ipſe
 Deterius quovis ſit Nebulone caput.
 Cujus in ardentem quaſi vi rapiuntur amorem,
 Quotquot habent guttam ſanguinis ingenui.
 Quem nunquam colere abſiſtam, dum vixero, teſtis
 Sit mihi, ſcrutatur qui cor & ile, DEVS.
 Tendeat infami trabe furcifer invidus, unquam
 Qui ruptum cupiet ſœdus Amicitiae.
 At tu fortunata domus tanto hospite gaude,
 Teq; illamq; tegat Dextera magna DEI.
 Heus tamen, ut ſis pulcra ſatis, ſatis inclita ſedes,
 Quæ pars es, fias hoſpitis una Domus.
 Ut verò ex dulci naſcantur Hirundine plures,
 Cultores habeat quos genuina fides:
 Hoſpita, caſta, decens, pia, amabilis, integra, dives
 Succedat teſtis, ó domus alta, tuis.

M. KINNERO A SCHERFFENSTEIN.

De dono chartaceo hominis Nauci.

En,

HEm Kinnere, tibi dat nobile munus Amicus.
 Nobilis, unde domus nobilitata tua est!
 O te felicem, talis cui contigit Author,
 Ambigo de quo, sit doctior, an probior?

IN SVSANNAM, FRISCHLINI
 Comoediam.

LAude pudicitia jam dudum inclaruit Orbi
 Carmine Frischlini clara Susanna magis.

IOANNI STVRMIO V. CL.
 In coenâ subito recitatum.

SAlve sancte Senex, Patriæ admirabile Lumen,
 Nominibus cujus Numen inesse reor:
 Si qua salus haustus Vini datur; en ego Vinum
 Præbibo, quod saluum te cupit esse diu.

MAGNIFICO DO. D. MELCHIORI.
 à Rhedern, Libero Baroni in Fridland, Seiden-
 burg, & Reichenbach. &c. Mi-
 liti generosissimo.
 Propempticon.

M

Mitto

*M*itto tibi jussus Guiljelmo scripta Baroni
*C*armina Patrono qualiacumq; meo.
*N*on, ut turpe lucrum consec̃ter, mitto, quod isto
*V*ersificatorum tempore Turba facit.
*S*ed quia tu studiis imbutus es Ipse sacratis,
*U*nde soles latio, quum libet, ore loqui.
*U*nde soles sanis, generose, favere Camænis,
*M*elchior, & doctos doctus amare Viros.
*E*rgo meos etiam dignare favore labores:
*H*æc tenuis doni est unica causa mei.
*E*t quia nunc repetenda tibi sunt teçta penatum:
*I*ngredere, & Christo preside claude viam.
*U*t saluus lepida videas uxoris ocellos,
*A*mplexu repetens gaudia casta novo.
*H*æc tibi, sollicitè dum certa negocia Praga
*T*raçto, favensq; diu me tenet Aula, precor.
*I*ducente DEO, Miles fortissime, magnum
*S*trenua quem faciet dextra fidesq; Virum.
*D*ispeream, si non te corde medullitus imo,
*P*ectus ob ingenuum, Vir generose, colo.

MART. KINNERO IN
 VVissag, Viro optimo.

VT mihi cara tua est, quam mittis, Epistola Vates,
 Sponsa nova est sponso vix ita cara suo.
 Multa precaturum sed me tibi multa precanti
 Impedit incepta dedita cura Via.
 Fer tamen, ó Kinnere, moram, quam sarciet albos
 Inter agros numeris vineta Thalia novis.
 Pro se Frenzelius, pro se Baronobilis edet
 Responsum, quo te pectore quisq; colat.
 Carmina, quæ tua sunt, nostra non indiga Lime,
 Plura remissurus pura remitto tibi.
 Quodq; meum est votum, mea Spes, mea Cura, valet.
 Neq; tuo clausum pectore semper ama.

AD AMICVM ALTERIVS
 nomine scriptum.

REs nova! nescio quæ sors me, prædulcis Amice,
 Trans Viadri Agricola littora flava facit.
 Villula, construxit quam fato functus Arator,
 Non procul hinc virides prominet inter agros.
 Incolet hanc Vxor cum Prole sequentibus annis,
 Insuper & studiis excolet illa suis.

M ij

Sed

*Sed quoniam Cultura Domus est frigida, mugit
 Nulla ubi Vacca, boas bos, neq, palat Ovis:
 Seu largitus Equam fueris, seu deniq, Vaccam,
 Spes erit (an rides?) Illa vel Illa Gregis.
 Tum tibi si vel desit Equus, vel Copia Lactis,
 Vel dabo lac niveum, vel tibi rursus Equum.
 Nunquid erit fœnus parvum ex hoc munere, si sic
 Creverit auspiciis Villa pusilla tuis?*

AD EVNDEM.

*A Equum munus Equi pro munere, comis Amice,
 Reddo tibi, firmet quod pia cura DEI.
 Nempe meum est Votum, partu det ut una secundo
 Vacca tibi Vaccas mille, Equa mille ferat.*

IN MAGNAM PVSILLI
Mariti Vxorem.

*FOemina cum totâ non sit te Major in Urbe
 Aut mente, aut pulcro corpore, Fusca, rogo:
 Cur parvam Andream te Vulgus futile dicit?
 An quòd sic labes sit minor illa Viri.*

IN CVSTODEM NEQVAM,
Genitivo & Accusativo casu.

IN quo tot scelerum facies, quot in Arbore Rami,
 Ut scelerum dici jure cloāca queat:
 Qui neqꝫ sobrius occidui, neqꝫ Solis Eoi
 Lumina vidit: habes deniqꝫ summam hominis:
 Hic commendatur damnatus Carceris equo
 Custodi, sanctum quem facit Ara Virum.
 Sanctum adeo, ut captum dimittat carcere, & intra
 Accipiat propria tecta propinqua Domus.
 Hunc pulvinari imponit, reficitqꝫ madenti
 Baccho, Epulis, ludo: cetera quem fugiunt?
 Nunquid habent similes Lactucas labra? negatur?
 Iste Illo major, credite, nequitia est.
 Sed quis custodem posthac custodiet istum?
 Qui ferat equalem commiseratus opem.

DE DIE GREGORII.

Ad Gregorium Rhenanum.

Gregorio est hac sacra dies, nisi calculus errat,
 O utinam tibi sit nomen & omen idem!
 Quòd si nomen idem est, tu debita solve diei:
 Quæ tibi sacra dies, est mihi festa dies.
 Hac mea Casario cinxit nova Laurea jure
 Tempora: Res aliquid, credo, favoris habet.

Nos.

*Nos conjungit Amor, quem lux hodierna serenat,
 Nomine sacra tuo, festa et honore meo.
 Duret amœna dies, quam fors imitetur amœna,
 Duret amor, duret saepe probanda fides.*

IN SORDIDVM POETAM.

*Sordide, Toracem qui cum sudore refarcis,
 Ingenii sarcis nonne ita damna tui?
 Quòd si ita consarcis tua carmina, crimina, Vestes,
 Dic mihi, quo dignus nomine? Sartor eris.*

IVDICIVM AEGROTANTIVM de Medicis.

*AVdite, ô Medici, quæ vestri forma sit Oris,
 Et qui diversotempore vester honos.*

*Cùm primum fragiles morbi dolor occupat artus,
 Angelica vobis gratia frontis inest.*

Mox ubi paulatim sanat medicina Dolorem,

In faciem humanam desinit ecce caput.

At simul à doctâ arte malum fugit omne, videtur

In Medici vultu trux habitare Satan.

O de forme animal! sed eo deformius illud,

Cujus in aspectu Mors truculenta sedet.

IN NOMEN CORNVTI.

COrnu nomen habes, superest, ut cornua gestes,
Cornua si gestas, dic mihi, qualis eris?

QVAESTIO. DE IGNORANTIA

Monachorum quorundam, ab Abbate in
Belgico Viro doctissimo &
CL. discussa.

MIror (ait quidam) cur ignorantia Fratres
Sic amet, ut nequeant Verba latina loqui.

Huic Vir iudicio gravis, ingenioq; stupendus:

Desine mirari talia, rursus ait.

Non nisi ab ignavis voluit tum Christus Asellis,
Quum peteret Solyma mœnia celsa, vehi.

Nunc nisi ab ignavis tolli sursumq; levare

Vult asinis: Monachos quis roget esse rudes?

PAVLLO GITSCHINSKI DE
nato Filiolô.

QUod sis fecundus pater, & pius, & bene doctus,
Indicio proles Mascula, Paulle, tua est.

Mascula fecundi nota creditur esse Parentis,

Id quod Aristoteles, & ratio ipsa docet.

Quod

*Quòd doctus bene sis, hìc Plato quiescere mandat,
 Quòd pius, hoc fidei publica norma docet.
 O felix! ó nate recens memorabilis infans,
 Quæ titulis ornasteq, Patremq, tribus!*

GEORGIO SENGERO V. CL.

De dono.

*C*Ur mittis pisces, melioraq, vina Falernis?
An quòd amor nimium frigeat, aut caleat?
Ergone friget amor, quia Piscis frigida vis est?
Quin, Sengere, tuum pectus amore calet.
Unde sciam rogitas? cur quæris aperta? calescit.
Corpore ceu vinum, pectore purus amor.
Hinc donas Vinum mihi nobile, nobilis ergo,
Quo me nunc ornas, est amor iste tuus.
Frigida sic cedunt calidis, ceu piscis Iaccho:
Ne valeam, noster si tibi cedit amor.

DAVIDI GVNTHERO.

*I*Reñe quum sit tibi Filia nata, sorores
Quid plures dubitas associare toro?
Irenen sequitur Concordia, Elisa, Benigna,
Justina, Euphrosine, Clara, Sophia, Fides.

Has

*Has tua si Conjux Irene nixibus edet,
 Reddideris felix aurea secla parens:
 Aude aliquid Gunthere: Deo vegetante calesces,
 Totq; Puellarum constituere Pater.
 Quis tum te fuerit Genitor fecundior alter?
 Quisve tuum vincet nobilitate torum.
 Ecce novem numero fuerint, quot in ordine Musæ,
 Proh quàm tu pulcro de Grege Phæbus eris!*

IN MERETRICEM ANVM.

*PRæveniens thalami jus & Meretricula, & Uxor,
 Et vetula hei peperit ter tribus icta procis.*

IOCVS AD NOB. DN. IOACH.
 Tschernin. De Balneo.

*ALbus ut ex nigro fias, Joachime, venito:
 Talia si renuis balnea, neuter eris.*

CVIDAM AGRICOLAE ELEGAN-
 ter docto, imprimis græcè.

*N*ullus Amicitia tecum intercesserat usus;
 Grata tamen nostræ Lux hodierna spei.

N

Vespera

*Vespera jam veniet, nobiscum Petre maneto,
 Perge nec ingenium dissimulare tuum.
 Petre lava, cana, gaude, ride, bibe mecum:
 Omnia cum possis mi Petre, gratus homo es.*

IN HOSPITIUM NOBILISS.

Viri Georgii Strela &c.

H*ospitis hospes erat domus hac absentis: Amici est
 Officium, absentis posse subire domum.*

IN SORDIDUM HOSPITEM.

C*ellam Turpilius non habet unicam,
 Cellam Turpilius non habet unicam,
 Vinum Turpilii non habet unicum,
 Linum Turpilius non habet unicum,
 Panem Turpilius non habet unicum,
 Aurum Turpilius non habet unicum,
 Sensum Turpilius non habet unicum,
 Censum Turpilius non habet unicum,
 Et, quod præcipuum, non habet unicum
 Salem Turpilius: quid ergo? Verba.*

Phalæc.

CL. V. GEORGIO TRADELIO,

*Reipub. Augustanæ Syndico Primario,
 Patrono S. honorando.*

DE COENA.

Fer-

Fercula tot dapium lautis apponere mensis,
 Purpureasq; omni spargere parte rosas:
 Vinaq; diversis infundere nata sub oris,
 Totq; ministeriis condecorare cibos:
 Hoc ne est excipere, aut hoc est tractare pœtam?
 Quid, tibi si magnus scribat Apollo Dicam?

IN EFFIGIEM SVAM.

Iam prope quinq; meum quùm lustra peregerat Ae-
 Talis eram facie, corpore talis eram. (vum,
 Laureamaturè nimium tibi contigit, inquis:
 Debetur magnis Laurea sola Viris.
 Est ita, confiteor: sed sic decrevit Apollo:
 Hūic parere etas prima, secunda solet.
 Gloria sectantes fugit, & fugientibus instat,
 Hac fecit juvenem sponte sequuta Virum.
 Multa tuli: potior fuit alma scientia luxu,
 Ocia nec teneras impediere manus..
 Sapius insomnes duxi per carmina noctes,
 Sapius in juris codice lectus erat.
 Sape etiam in sacros Sudor de fronte libellos
 Decidit: hic cali quarere jussit opes.

Nij

Hac

*Hæc Sophia, hæc Iuris mihi fundamenta fuerunt,
 Dum se alii in somnos composuere leves.
 Invideat, quicumq; volet: si quid mihi laudis
 Contigit; indultu contigit omne Dei.
 Acceptum huic refero, Duce & hoc majora capeffam,
 Quum mihi post istam forma virilis erit.
 Dū modo, quod superest Vita, tueantur & ornent:
 Gloria si qua mea est, Gloria sola DEI est.*

DICACITAS ODIOSA.

*Q*ui garrit, quæ vult, quæ non vult, sapius audit:
 Tela revertantur ne tibi missa, sile.

AMICO.

De nomine.

*I*ane coronatus tibi mitto Poëta^{+ m. f.} Coronam,
 Virtutis signum, leticiæq; notam.
 Jane rogas causam? quoniam fortasse corona
 Debetur studiis, culte Poëta, tuis?
 Iane meâ dudum redimitus tempora Lauro
 Ingenii volitas laude per ora Virum.
 Jane tuum ingemino toties cur carmine nomen?
 Quod nomen recolit Lux hodierna tuum.

Iane

Iane vides caussam, cur det mea Musa coronam?

Læticiæ hanc signum scilicet esse volo.

Iane sit hac igitur solido firmissima plausu,

Ut solidè nullo fine corolla nitet.

Jane tuum vireat celebratum in secula nomen,

Vt viret æternis Laurus aprica comis.

Jane DEI aspiret fato tibi gratia molli,

Spondet ut hanc ratio nominis una tui.

Iane pio vòto, versu, viridique coronâ

Vincio te: nostri pignus amoris habes.

Iane tuum celebres ut nomen sepe, diei

Annua fac solvas debita: liber eris.

M. MEL. SEVERO INVITANTI

se ad Prandium.

Sint tibi, qui pietas es vera, ô Melchior, unda,

Pro Cereris, Bacchi proque liquore meri.

Sit panis pro carne, lubens Conviva penates

Conveniam socio cum Michaële tuos.

DAVIDI GUNTHERO.

Tautonicos Natura favet cui condere Rhythmos,

Nonne pedem ad latiam ferret Apollo viam?

N iiij

EIDEM

EIDEM.

In reditu Itineris Lipsiensis.

Tertiade sancto fulgebat Paschate nuper
 Festa dies, hinc me quando traherat iter.
 Tertia ab hoc sancto Lux Paschate surgit, & anno,
 Ad vestros redeo qua bene vectus agros.
 Fallor? an omen inest, illa ut me fronte revisas,
 Nuper adharebas qua mihi totus ovans.
 Ergo fatigatum per strata inflexa viarum
 Frenzelium pigeat non adisse tuum.
 Prandioli, Gunthere, mei Conviva future,
 Si nova non renuis discere multa, veni.
 Saeptius accumbet mensa, & Florischizius alter,
 Nomine non facie, notus uterq; mihi.
 Vtriq; es notus, gratusq; futurus utriq;
 De me ne dubita; quantus es, hospes eris.

MARTINO HERTELIO

Senat. Nissen.

De Albo suorum Amicorum,

Foedus Amicitiae quod nox hesternae ciebat,
 Firmet Amicitiae nervus aperta fides.

Hanc

*Hanc, gravis Herteli, dextrá testare politá,
Deponens animi signa futura tui.*

*Non compilatur, pro Consuetudine Vulgi,
Hic sine Iudicii dexteritate Liber.*

*Causa modesta subest, memori devota favori,
Illa hanc te seriem nobilitare jubet.*

*Noster amor doctis est consecratus Amicis,
Certabit studiis qui sine fine tuis.*

*Mutuaq, ut fucus sine crescant pectora, ceptum
Servet Amicitia fautor & Author opus.*

MAGNIFICO DOM. D. GVIL. AB.

Oppersdorff Libero Baroni &c.

DE FILIOLA RECENS NATA, FI-

dejubente in Baptismo Serenissimo & optimo

Principe Maximiliano Archiduce

Austriæ Ec. &c.

ANA tori pignus primum, spe MAXIMA, honore
ÆMYLIA efficit prima in amore patrem.

*Maxima cur? quoniam Dux illam MAXIMVS undá
Excepit sacri fontis, agente DEO.*

Propater huic Nomen Natæ dedit: ille vocatur

Nomine, & ingenio MAXIMVS ÆMYLIVS.

Nomina

*Nomina nominibus tunc respondere putabo;
 Filia quum referet PRopatri ingenium.
 Omnia convenient sed demum nomine, quando
 ANNA decus patriæ MAXMILIANA feret.*

DE EADEM.

E Genethliaco.

*N*ata tibi quoniam reduci pulcherrima proles
 Ex fortunata Coniuge, nata seges.
 Hac quondam faciat Socerum te Filia: fas sit
 O etiam posthac dicere: fecit Avum!
 Imbibat interea primo cum lacte timorem,
 Numinis ex Matris sanguine, mente, sinu.
 Hic se diffundat crescentis in ossa puella,
 Et fovet ingenii quicquid uterq; parens.
 Quod si magnanimum referet sic pectore patrem,
 Lineolis vultus ut genuina refert:
 Sexus discrimen cum nomine fecerit unus,
 Omnia magnanimi cetera Patris erunt.

EIDEM DE DONO.

*Q*ua donata tibi, Guilielme, capesse securim,
 Et gere divina nobile munus ope.

Strenuus

*Strenuus exhibuit Vir, strenua dona capeſſe :
Strenua (ſide D E O) Dextra futura tua eſt.*

EIDEM DE NOMINE,
& Itinere.

A Spicis, irradiet lux ut hodierna ſereno
Sole, nec heſterna præcipitentur aquæ !
Hæc octava dies eſt & vigesima Maij,
Nomine quæ gaudet, magne Patrone, tuo.
Fallor ? an omen ineſt ? quid ni ? velut æthere toto
‘Discutit heſternas Sol hodiernus aquas :
Sic nunquam variant ſi non nigra nubila ſortem,
Indicium vitæ proſperioris habent.
Sol umbras ſequitur, lux noctem, gaudia fletum,
Et fortuna ſuas gaudet obire vices.
Huic igitur, Guilielme Baro, perſolve dici
Debita, læticiæ dans nova ſigna piæ.
Omen erit præſens toto lux fulgida celo,
Si modo Spes precibus jungitur, omen erit.
Iamq; capeſſendum Legato Cæſaris almi
Dulce dat augurium, quod tibi reſtat, iter.
Ergo inſiſte viam, fauſtoq; negocia fato
Conſice, & Vxoris ſalvus ad ora redi.

*Hoc precor hoc toto, Mecænas optime, sensu,
 Voce, fide, gemitu, corde, animoq; tibi.
 Te qui (fide modò) Deus ad majora reservat,
 Js nunc angelica ducat ubiq; manu.
 Ast hodierna dies Guilielmi nomine sacra,
 Sæpe tibi redeat, sæpe tibi faveat.
 Hanc decorare diem juvat hoc me carmine parvo:
 Hoc si te voto vincio, vinco; sat est.*

EIDEM EX ITINERE
 redeunti.

*ESset inarsurus quantus dolor ossibus imis,
 Si mihi te casus lethifer eriperet:
 (Diû prohibete malum) pertentant gaudia mentem,
 Te Guilielme Baro sospite, tanta meam.
 Quas ergo inveniam Voces? quæ juba fundam,
 Quòd longum incolumem te mihi reddit iter?
 Ingredere Heroum sate sanguine mœnia Præge
 & Salvus, & hinc Patriæ salvus ad ora redi.
 Terra tibi faveat, faveat clementia cali,
 Omniaq; ut faveant, Ipse Deus faveat.*

EIDEM DE EODEM.

Gaudia

*Gaudia quæ fundā? Geminē quos pectore G rato,
 Vt decet, assultus? Unde ósatis efferar? Vnde
 Jubila digna satis Iucundo Carmine Iactem?
 Longum emens iter Letá quòd fronte, Labores
 Impiger ad quosvis, Ipso comitatus Iesu,
 Et Iuvenum catu Egregiorem ca veris, h Eros,
 Littora adhæc Mulda Labentis flumine Leni,
 Magnæ meis Musis Mæcenas, Spes bona Martis?
 Ut leto excipio Virte fortissime Vultu!
 Sis faustus, felix, Salvusq; in secula: Sūma est,
 Vivat bonos, corpus. VALEAT, tua Gloria CRESCAT.*

INSIGNIA CASPARIS NÆVII
 Med. CL.

*EXsurgit duplex cornu diademate: Cassis
 Suffulget, stellâ suppeditante jubar.
 Arma tua inferius stant armi Gryphis, & unci,
 Nævi magne, pedes stemmatis arma tui.
 Esse quod augurium dicam? Virtute tueris
 Tu Patriam, Nidum Gryphs velut ungue suum.
 Perge DEI MANIBVS SORTES committere, si vis
 Faustus in hoc mundo, faustior esse polo.*

EPIGRAM. DIVERS.
IN CALCVLVM.

CAlcule tormenti genus intolerabile tanto
Cur hominis sancti membra dolore premis?
Sæuior es Furiis & Avernii Carcere, nescis
Parcere quando bonis, dire Tyranne, Viris.
Desine crudeli quaterere ossa licentius ictu,
Atq; fatigatum debilitare senem.
Quod si Canities te non veneranda movebit,
Commoda te moveant publica, danda scholis.
Si tamen es Tortor non exorabilis, insta:
Robora vel tandem qui tua frangat, erit.

DE M. SEVERI EPIGRAMMATE
 in Albo Amicorum suorum.

SI nescis, hoc quis dederit mihi pignus Amoris;
Ipsa dedit probitas, Ipse Amor, Ipsa fides.

IN SEPTEM VIROS AB VNO CAESOS.

VNus homo septem feriit: res mira! sed audi:
Septem non unum Cor habuere Viri.

NORMA VERAE NOBILITATIS
 veriori quàm suaviore Historiâ
 delineata.

Agricolâ

A Gricolá natus Vir forti corde, cohortes
 Conscribente suo Principe, bella subit.
 Mars probat ingenium, dextram iuvat Exitus, uná
 Multos strage necat Victor, & arma rapit.
 Rex sapiens gaudet generoso Milite, eumq;
 Aula consortem mox facit esse suæ.
 Invidet huic sortem Gens nobiliore creata
 Stirpe, nec Agricolam vult in honore parem.
 Verbera verba cient, formidandumq; duellum:
 Mox Equitem valido Rusticus Ense ferit.
 Ferre ignominiam nolens impune cruentus
 Rure sato litem, Iudice Rege, movet,
 Faciat Avos, Atavosq; suos, spernitq; lutosum
 Agricolam, indignum sorte, favore, loco.
 Rex jubet Agricolam monstrare insignia: paret
 Præfatus veniam Miles, & illa notat,
 Qualia sint rogatus ait: stat terna canino
 Stercore seta Suis, gentis Imago mea.
 Hæc mea contemnit quicumq; insignia (dicam
 Pace tuâ) rabido, est, dente, necesse terat.
 Absit id á nobis, pleno dans ore cachinnos,
 Rex ait, & tua Lex sit rata, sic maneat.

Auratiq, Equitem triplici creat ordinis ictu:

Hæc sit norma tua nobilitatis, ait.

Jam quicumq, Pater genuit te sorte vel imâ

Nobilibus par es nobilitate meis.

Crede mihi, hoc stercus meliorem effudit odorem,

Quàm virtute carens Cera senex Asini.

ORDINI EQVESTRO.

Qui genus antiquum Virtute tuetur herili,

Dicta in contemptum non putet ista suum.

COMITIBVS SE LIPSIA

abeuntem sequentibus.

Ergo valete, valete mei suavissimi Amores,

Frenzeliumq, bonos inter habete Viros.

M. SALOMONI GESNERO

Philosopho doctissimo.

Qui mecum, commune geris, Gesnere Poëta,

Nomen, an haud idem te mihi jungat amor?

Id vult Gerlachus, qui teq, tuosq, salutat,

Id schola, quæ docuit nos simul una, monet.

Transeo.

*Transeo Eques vestram, Musis comitantibus, Urbem,
Ex intemperie totus onustus aquis.*

*Ergo meam si vis ut sol post nubila mentem,
Rursum ineat, vultu liberiore veni.*

*Me, Salomon, Salomona fide superasse probabis
Tunc demum, noster quum tibi cedit amor.*

EIDEM.

*Non ades, Gesnere, tuas aspernor: at illas
Ingrediar, ceptas quum remeabo vias.*

*Ut dixi, madeo pluviis, nivibusq;: venito
Ergo prior, Salomon sepe petite mihi.*

AMICI INVITATIO.

*TE sine si quidquam suave est mihi, dulce venenū est:
Hac animo, Samuel, congrua, crede, meo.*

*Dum licet, accelera gressum, comitantibus illis,
Nevius heredes quos pietatis habet.*

*Sit lateri adjunctus Sigemundus, Imago Parentis,
Quem decorat studiis, te monitore, bonis.*

*Nil metue adversum Musis, & moribus equis:
Pocula rara mihi, vocula multa mihi est.*

M. IOAN.

M. IOANNI KOSCHVVIZIO.

Qui dudum melius, loquente laudes
Kinnero ingenuè tuas, amande
Koschvizi, mihi notus es, manesq;
Qui notus facie minus fuisti;
Salve Hospes studiis dicatè sacris,
Kinnero, patri meoq; dudum,
Exoptate, mihi minus nec unquam.
Si corpus veterem fovet vigorem,
Ut mens sana tua est, quis o' amicus
Gratari cupido recuset ore,
Koschvizi, tibi, quo Deus Ministro
Gaudet, quo Socio pares amici,
Quo cultore novem Deæ sorores,
Quo candor, pietas, fides, Alumno?
Si quid fronte tuâ minus serenum,
Si quid triste latet, procul faceffat.
Omnes discutiet citò tenebras
Et nubes animi supremâ solis
Virtus, quæ geniale Vaticanum
Perlustrat radiis, favente calo.
Nè mirare tamen, quòd ausus ultrò

*Te sum versiculis minùs politis
Compellare: sed heus; mea haud cuivis
Assurgit rigido Thalia Fauno,
Delectu fruitur, probatq; versu
Omnes, quos socios habet laborum
Virtus exsiliis subacta longis.*

*Ergo te meritò labore dignor
(Si carmen labor est mihi) suorum
Quem Virtus socium facit laborum:
Imò unum satis est, Amice, laudes
Decantasse tuas mihi faventem
Kinnerum, egregiè cui probari,
Est non posse viris placere pravis.*

DOMAT OMNIA VIRTUS.

Symb. Iac. Chimarrhæi, Eleem. Cæf.

Q*uod domat aethereos, divino Numine, tractus,
Quod mare, quod terras, quod pecudesq; domat:
Quod domat humanas invicto robore mentes,
Indomitum toto cui nihil orbe manet:
Esse quid hoc dicam? Virtus domat omnia nempe,
Omniaq; Imperio subijcit una suo.
Hac cali, terræ, maris est, pecudumq; hominumq;
Dux, Regina, caput, porta, columna, Decus.*

P

Hæc

*Hæc Domina, hæc victrix vivit post funera Virtus,
 Et conſectantes ſe vetat illa mori.
 O felix, quicumqꝫ jugo ſe ſubijcit iſto,
 Si, quod habet vite præmia ſumma, Iugum eſt!*

AQVILA CAESARIS, ET
Imperii Romani.

VT Leo quadrupedum Rex creditur eſſe Ferarum;
*Sic Aquila omnigenas eminet inter Aves.
 Rex eſt ille potens, Regina potentior hæc eſt,
 Nubila quæ pennis permeat alta ſuis.
 A tonitru quovis eſt inviolabilis icſtu,
 Solaqꝫ fulgorem Solis obire valet.
 Quàm bene Romano Regina hæc convenit Orbi,
 Divinâ Caſar quem moderatur ope!
 Is Virtute ſuâ fortune plurima tranſit
 Nubila, & hinc famam finit utroqꝫ polo.
 Non timet adverſas, quamvis obnoxius, auras,
 Obtutu tolerans acria quæqꝫ ſuo.
 Quid blateras ô Muſca fugax? Aquila Ipſe ſupre-
 Caſaris Auſonii eſt Imperiiqꝫ Deus. (muſ*

QVERIMONIA POESEOS.

Oatas

O *Ætas ingrata meos quid spernis honores?*
Quid calcas rigido munera nostra pede?
Olim summa fui Regumq; Ducumq; Voluptas,
Efferat nunc probris me beat Aula suis.
Olim gesserunt nulli mea nomina, qui non
Ingenio poterant equivalere mihi:
Nunc stipem per me sibi Stellio queritat omnis;
Prostituitq; vago crimine litterulas.
Olim suave meum fuit, & memorabile Nomen,
Nunc nil abjectum, nil & inane magis.
O ætas ingrata meos quid spernis honores?
An nescis Genio Numen inesse meo?

EIDEM.

C *Onquerar? an taceam, quòd eis fortuna favorem*
Abnuat, Aonii qui Ducis arma gerunt?
Tempus ubi est, Musas Regum quo Cura fovebat,
Inq; suo precio parva papyrus erat?
Tempus ubi est, doctâ quo nil preciosius arte,
Inq; loco primo Carmen & Author erant?
Tempus ubi est, donis poterat quo crescere felix
Ingenium, & laudes amplificare Ducum?

P ij Tempus

*Tempus ubi est illud, quo sacro carmine Vatum
 Esse putabatur gloria prima legi?
 In quos contorquet fortuna licentius hastam
 Perfidia, quàm quos Palladis umbra tegit?
 Summam summa famem patitur nunc fama, nec arte
 Pieridum quicquam vilius Orbis habet.
 Ah ubi Mecænas, ubi nunc Augustus? uterq;
 Nunc laudare potest, non numerare potest.*

RESPONSIO AD QVERIMONIAM.

*O mea ne prorsus mentem abijce, Mater amica,
 Semper erit studiis dedita turba tuis.
 DIVA, querela quidem nimis est tua vera: sed audi,
 Artes terra tamen qualibet arte fovet.
 Diu sudore suas vendunt cum fœnore merces.
 Fœnus id æternos durat ad usq; dies.
 Si quandoq; tibi dat quedam terra Patronum,
 Quid tum? de multis millibus unus erit.
 Talis Pieridum Decus OPPERSDORFIVS Heros,
 Mecænas, Tutor, Duxq;, Paterq; meus.*

SVPERBIA ANTE RVINAM:

Humilitas ante Eminentiam.

Ante

ANteit ut Fastus, stultorum Norma, ruinam:
 Altam sic humilis vita praire solet.
 Per Scalam ascensu superantur summa profundo,
 Et prius ima petit, qui volet alta sequi.
 Pullulat antè brevis, quàm longior eminet Arbos,
 Et fœcunda Seges, quàm viret, antè putret.
 Clausula principium sequitur, mercesq; laborem,
 Pax curam, arumnas sæpe petita quies:
 Nubila Lux Phœbi, bellum Victoria, plausus
 Planctum, Virtutem Gloria, facta Decus.

IOANNI LUNDORPIO,

De literarum Silentio.

FOedus Amicitia si sæpe silentia rumpunt,
 Hanc tamen haud patitur vim bene nexus amor.
 Afferit id noster, longumq; probabit in ævum,
 Dimidium o cordis, Iane Poëta, mei.
 Nam licet à multis tibi littera scripta sit annis
 Nulla; tamen patriæ sum memor usq; tue.
 Nec meus ex animo Lundorpius excidit unquam,
 Nec LAVTERBACHIVS candidus ille meus.
 Nec meus atq; tuus Cremerus, & Angelus alter,
 Nec desiderium Posthius ille meum.

P ij

Hactenus

*Hactenus imposuit mora longa silentia longa,
 Quæ multò gravior, quàm tibi, Iane, mihi est.
 Illam certa tamen pensabit gratia tandem,
 Cui fortuna patens ad Sua pandit iter.
 Testor eum, tacitas qui lustrat lumine mentes;
 Iste, cum reliquis, servat alatq; Bonis.*

LEVITAS MORVM IN
 homine literato.

*QVem morum levitas scurrilib. implicat ausis,
 Sit licet ingenio magnus, & arte potens;
 Ecquid Is est aliud, quàm formosissima Virgo,
 Destituit luxu quam rapiente Pudor?*

ALITER.

*Vidi ego non paucos Decus immortale mereri;
 Doctrina ediderant qui monumenta sue.
 Non ita post vitare Bonos commercia vidi
 Illorum, & pariter deposuisse libros.*

ALITER.

*Disce Puer primam castis assuescere vitam
 Moribus, atq; animi dona polire tui.*

Ingeniis

*Ingenii quamvis excellentissima magni
Sordida vita citò sordida dona facit.*

ALITER.

*In litteris qui proficit,
In moribusq; deficit,
Plus deficit, quàm proficit,
Simulq; multis officit.*

RVBOR SOLIS PRAETER NATU-
ralis, VI. Iulii circa V. & VI. horam con-
spectus Vesperis. Anno 1588.

*Q*uid est, Sol iterum quòd erubescit,
Vultus insolito colore mutans?
An nondum satis est cruoris haustum?
An nondum scelerum peracta tela?
Si neutrum tamen est, quid ò putatis
Mortales miseri subesse cælo,
Quòd Solis toties stupendus Orbis
Vel pallet nimium, vel erubescit?

IN AVARVM.

*F*idus Avarus homo nulli est, sibi pessimus: ò res
Stulta, hominem fieri Sponte suá miserum!

IN

EPIGRAM. DIVERS.
IN HYPOCRITAM.

*S*ub Sole, vin' verbis edisseram tribus,
Quæ Bestia omnium sit atrocissima?
Hæc scilicet Dæmon quidam Incarnatus est.
Monstri quid hoc, quid portenti est? Hypocrita.

AD AMICVM,
 In deliquium Crumenæ.

*H*ebdomade hac subito, Frater suavissime, morbo
Corripuit Loculum Tisiphonea meum.
Qui ne deficiat, mortive occumbat acerba,
Nummus opem Ungaricus, te medicante, ferat,
Pro Loculo ipse meo reddam tibi protinus aurum
Antè, dies veniat quàm repetita Iovis.
Parva ferenda mora est: hanc Caspar amice resarci
Interea, Sarcotor dum petit ara meus.
Quòd si nolueris Loculo medicarier agro,
Nec mihi tu medicus, nec mihi sarcotor eris.

NOBILISS. V. GEORGIO STRELA
 in Mülden &c.

*E*sse videbatur sterilis qui totus, Agellus
Ille tibi Segetem protulit ecce novam!

Gratz

*Grata mora est thalamo, quam fructus pensat Amoris,
 Et mora non grata est, quæ sine fruge venit.
 Sic quæ tardavit Prolem mora longa GEORGI,
 Optima non generis Spes nequit esse tui.
 Macte! Seges Segetem trudet, Messisq; sequetur
 Multa: tori nam sunt pignora Dona DEI.*

IOANNI HVTTENNO, AMICO PROBATISSIMO.

*I*ANE fidem nuper quum multos inter amicos
*Quæsissem, inveni deniq; mentè tuâ.
 Vera fides, Huttene, isto quò rarior ævo est,
 Hòc major laudum te comitatur honos.
 Vive memor nostri, LAVINGERVMO. saluta,
 Ingenii propter quem pia dona colo.*

DISSOLVTIO MATRIMONII INIVSTA.
 Ad Amicum R. G. N.

*E*Cquid, Amice, mihi tua tristis Epistola narrat,
*Non tibi servari fœdera pacta tori?
 Nulla dies abiit, qua non sit in omnibus horis
 Expectata tuæ Littera fida manus:
 Scilicet ut præsens modularer amabile carmen,
 Ad confirmati gaudia prima tori.
 At tibi fœdis fragos Sponsæ misisse parentes
 Cuncta data fidei pignora rursus, ais.*

Q

Non

*Non ob, quæ pariunt justas, divortia, causas,
 Julia quas dictat Lex, statuente Deo:
 Judice sed falso quæ nescio debita propter,
 Quorum prima Vxor perfida causa fuit.
 Estne fides adhibenda tibi? num fortè jocularis?
 An cadat in quemquam tam furiale scelus?
 Si tamen, ut quereris, res est; age collige mentem;
 Prostituant illi seq. suumq. genus.
 Si, quam firmarunt Sponsalia publica nuper,
 Et socer, & socrus fregit ob æra fidem:
 Dic an, amice, horum toto sub corpore gutta
 Vna vel ingenui sanguinis esse queat?
 Nonne sat ingenii, sat mentis, & artis haberent,
 Si Iudeorum tetra propago forent.
 At fortasse doles jacturam Virginis? heus tu,
 Non procul à proprio stipite poma cadunt.
 Sed metuis vulgi insultus, mendacia, risus?
 Conscia mens recti toxica nulla timet.
 Quid multis? lucro gelidam hanc appone repulsam:
 Digni furcâ illi: tu meliore toro.*

PAUPERTAS NON REFORMIDANDA.

NE sit dura tibi nimium, vel turpis egestas:
 Natus ut es, nunquam sic moriere miser
TEN-

TENDIT IN ARDVA VIRTUS.

MAGNIFICI DOM. GEOR. MEHL A STRELIZ

in Tallenstein & Rumburg, S. C. M. Consil. Regniq;
Boh. Vicecancellarii Symbolum.

*A*rdua quum tentet Virtus, mirabitur ecquis,
Tollat Amatores quòd simul illa suos?

INGENIVM DAEDALEVM.

*I*udicii ad normam doctos evolvere Libros,
Et dare quadruplici, quum placet, ore sonos.

Consulere in medium graviter de rebus agendis,

Et consulta brevi texere docta stylo:

Scire potestates medicandi, pangere Versus,

Et facere argutá nobile voce melos:

Musicaq;, humana quaecunq; industria mentis

Organa adinvenit, tangere posse manu:

Imò eadem scitè fabricare, decenter, & aptè,

Et pulcrá serie ducere litterulas:

Deniq; ad omnem operam leni conamine ferri,

Quale sit Ingenium, dic mihi? Dædaleum.

Tali GUILHELMVM facilis Natura beavit

Mecænatem illum (Res probat ipsa) meum.

IN SCHOLAM SÆPIVS MUTATAM.

Lij

Quum

QUum tibi Sol faveat, cur es Lunatica tota?
Crescis, decrescis, nec tamen integra sis.

IOAN. HILTEBRANDO MOCHERO. I. V. D.

VIvis adhuc, Mochere, mei pars optima cordis?
O desiderium nobile vivis adhuc?
Vive mei Mochere memor, quem labilis ævi
Eximet ingenio nulla senectæ meo.

AD PODAGRAM.

QUos, ô luxurians Podagra, mittis
Pracones teneros meas ad ades,
Adventu nimium superbientes
Ingressusq; tuo? nihil negoci est
In parvi tibi corporis medullâ,
Aut ossæ, aut cute: nec laboro scire,
Qua sedem soleas locare parte.
Quin sis Hertelii, Podagra, constans
Felix Incola, mitis, aqua, velox.
Te tractare decenter ille novit
Pulvinaribus, & cibo, & falerno,
Et vir quicquid habet suavitatum:
Hoc sis hospite latior puellis,
Hoc jucundior omnibus Puellis,

Hoc

*Hoc lascivior omnibus puellis,
 Hoc constantior omnibus puellis,
 Hoc sis carior omnibus puellis,
 Quantò es durior omnibus puellis.*

DAVIDI HELL. I. V. D. PROFESSORI
 Ingolst. designato.

I*am tandem meruit tua quòd Doctrina Cathedrā,
 Qua bene dignus eras, gratulor Helle tibi.
 O quanta Ingenii monumenta merebere, laudes
 Anglipolis cumulans, jura docendo, Scholæ!*

BIBLIOTHECA GEOR. A VVERDENSTEIN
 Viri nobilissimi. &c.

H*ic age, quem versare juvat genus omne Librorū,
 Nil queres, quod non protinus invenias.
 Nam bene construxit me Uverdensteinus olim,
 Nec cumulare bonis desinit usq; libris:
 Illos nocturno volvit, volvitq; diurno
 Pollice, Avis clarus, nobilis arte senex.
 Hei metuo, ne tam paucos, quàm par mihi rara est
 Bibliotheca, habeat nobilis Ordo pares!*

INSIGNIA DOMINORVM AB OPPERSDORF &c.
 Ad Meccœnatem suum.

D*Extra minax gladio, caput & deforme Draconis
 Martia sunt generis signa, Guilhelme, tui.*

*Et bene: nam quanto quanto nunc claret honore,
Armis acceptum, Marte favente, refert.*

*Id Mahometigenum, dextra quod principis olim
Vexillum eripuit PATRVS acce, probat.*

» Scilicet argento lucrari Insignia laus est

» Nulla; sed æternum, Marte vel Arte, decus.

*Maeste novâ Virtute pater GVILHELME: virescit
Vulnere namq; animi vis generosa boni.*

OPPERSDORFI ADVM Decus immortale meorum

Mars partim, partim jactat Apollo suum.

OPTIMA REIPVB. FORMA.

Ad Matthæum Bilizerum Neapolitanum Silesium,
de ipsius Patriâ.

*Qui judicare de quavis Republicâ
Laborat; ad Scholâ, templiq; formulam
Attendat: hæc si constituta est sedulo,
Decenter, aptè, fructuosè, & ordinè,
Tum deniq; horarum quando dimensio
Habetur equa; prudens est Respublica.
Quòd vestra, Bilizere, cui tu gnaviter
Præes, sit omni parte ejusmodi, probat
Templi, Scholæq; forma, ipsumq; Horarium.
Illam ergo Conditor Deus term maximus
Ornet, tegat, regat, defendat, augeat.*

VIRTUTE PARTA DURANT. SYMBOLVM

M. Christo. Sartorii, Sac. Cæs. Ma. Nobilium
Adolescentum Præceptoris.

Immensas Mercator opes corradit avarus,
Quas auferre potest unica sæpe dies.
At Bona perpetuo durant Virtute parata,
Muneraq; ingenii non moritura vigent.

ABRA. SCHVVALBIO, VTRIVSQ; DVCATVS
Oppolienfis & Ratiborienfis Medico Physico, De com-
muni periculo, & Salute.

Quòd si certa fides incertis rebus Amicos
Comprobat, ab quis te carioresse potest?
Quùm nos barbaricus, campis Piznensibus, hostis
Igne interceptos duriter obrueret:
Una tibi atq; mihi vitam abstulit, unaq; eandem
Redidit heu nimium sanguinolenta dies.
Unica spes ambobus erat, pavor unus, & horror,
Impressusq; animis unus erat tumultus.
Una utrumq; rapax manus expilavit, & armis
Exsuit, atq; unus pressit utrumq; dolor.
Sponte sequebatur plantis titubantibus alter,
Unum quò tremulum cunq; ferebat iter.
Una dies Patria nos reddidit, una saluti:
Ceu letho dederat nos prius una dies.

Et

*Et te non toto complectar pectore, totâ
 Mente, animo toto? te nec, Abrâme, colam?
 Sis mihi tu Pylades, & erotibi fidus Orestes,
 O cor, ô anima, ô pectus Abrâme meum!
 Ante mihi tellus tota adversetur, & æther,
 Ausim quàm Pyladis non meminisse mei.
 Te venerabor ego, dum Spiritus hos reget artus,
 Ingenii & stabunt dum monumenta mei.*

IN FVREM ANNVLLI SVI.

*Q*uisquis es, orbasti digitos qui turpiter auro,
 Invadente levi membra sopore, meos:
 Nil tibi funestum precor, intentove, nisi olim
 Pendeat ut collo celsa catenatuo.

RVFFORVM NATVRA.

Ad Matthiam Vngarum in Dithmansdorff, Med. Doct.

*V*idi ego, summa fides quibus esset, crine rubentes,
 Et vidi, in quorum pectore nulla fides.
 Quarenti causam Medicus respondit Erastus:
 Natura hos inter nescit habere modum.
 VNGARE crine rubes: sed quisq, Vir optimus esset,
 Natura efficeret si tibi quemq, parem.

SEBAS HEVGEL. CONSIL. CAES. ET
 primario Curiaë Boemicæ Secretario,
 De Nato Filiolo.

*Quis negat, esse Dei donum memorabile Prolem,
 Quam gignunt licito fœmina Virq; toro?
 Ergo tibi enixa est partu quòd amabilis Vxor
 Filiolam, Munus dulce Iehova dedit.
 Munus ut hoc capiat longa incrementa, Sebasti,
 Faxit Olympiaci Duxq; Paterq; chori.
 ALBERTVS vivat valeatq; GEORGIVS idem,
 Nescius à patriâ degenerare domo.*

IN VIOLATOREM LITERARVM SVARVM M. A.

Litterulas toties violas qui, perfide, nostras,
 Julia lex statuat quid tibi scisne? taces.
 Dicam equidem: infames evellere mandat ocellos,
 Indignumq; omni censet honore caput.
 Eruat ergo tuos seu dirus Tortor ocellos,
 Seu Corvus, quantus quantus es, es Nebulo.

INSIGNIA ET SYMBOLA QVORVNDAM PRO-
 cerum Casareorum. Iuxta seriem Alphabeticam.

NOB. ET MAG. DO. D. IACOBO
 CHVRTZ A SENFTENAVV. S. C. M. CONSIL.
 intimo, S. R. Imperii Vicecancellario. &c. &c.

Et tua Gens Aquilam nitidis ostentat in armis,
 Creverit auspiciis quòd cumulatâ bonis.
 Aemula crescit adhuc Aquile, tenditq; per altum:
 Crescat in æternos, clare Iacobe, dies.

ILL. DOM. D. ADAMO A DITRICHSTEIN,

Lib. Bar. S. C. M. Confil. intimo, & supremo

Aulæ Ejusdem Magistro &c. &c.

Falcula quòd duplex, qua quivis Vinitor uti
 Suevit, inest clypeo, fortis Adame, tuo:
 Non humiles ortus signat, sed eò mage claros,
 Quantò est nobilior Bacchicus humor aquis.
 E grava virtute labor, virtusq; labore,
 Ast ab utroq; venit gloria fine carens.
 Gloria quanta tuæ Propaginis? unde profecta est?
 An non ex gestis Rebus honorificè?
 Falcula testis erit, testis tua funeris expers
 Fama. hanc conservet, teq; tuosq; Deus.

EIVSDEM SYMBOLVM.

Nil timeo, quacunq; senem me fata laceffant;
 Auxilium à Domino nam venit omne meum.

ILL. DOM. D. FERD. HOFMAN LIB. BAR.

in Gräfenstein. S. C. M. Confil. intimo, & Camera

Cæs. Præsidi &c. &c.

Dama, siligineis & turgens culmus aristis
 Plurimus exornant scuta Leone tua.
 Dama celer saltu: mens est generosa Leoni:
 Donum, quo careat nemo, Siligo Dei.
 Impiger excelsum tetigisti culmen honoris
 Ferdnande, arva, domos, oppida, dante Deo.

GEN:

GEN. ET MAG. DOM. D. CHRISTO. A LOBCO-
vviz Iuniori, Libero Baroni S. C. M. Consiliario intimo, &
supremo Camerae Praefecto &c. &c.

*Multa Aquila virtus: sed gloria prima, quòd Ales
Est Iovis, & pennis tendit in astra poli.*

*Christophore hanc meritò gestat natalibus Armis
Gens tua, quam celebris fama per astra vehit.*

ILL. ET GEN. DOM. D. ADAMO A NEV-
hausen, Libero Baroni in Frauenburg & Neuhausen,
S. C. M. Consil. intimo, & supremo Regni
Bohemiae Cancellario &c. &c.

*Purpurea q̃ Rosa Nota purpurea q̃ Corolla
In galea & clypeo fulget, Adame, tuo.*

*His Regale subest Diadema, & Littera nomen
Quae regale gerit: Signa quid ista notant?*

*Cum Rosa fragrantis sit formosissimus horti
Flosculus, & reliquos vincat odore suo:*

*Cur Rosa gestamen non tanti Stemmatibus esset,
Cui tua, qua frueris, gloria dulcis odor?*

*Aspinis Rosa rosa licet laceretur ubiq̃,
Stat tamen, & patulis crescit odora comis.*

*Olim conspicuis Victorum innexa capillis
Et decus, & merces pulchra Corolla fuit.*

*Hec facit Indicium, quòd & olim fortibus ausis
Emersit Generis longa Propago tui.*

*Indicio subducta fidem facit Ancora, portum
 Majores salvâ Re tetigisse tuos.
 Littera sed quorsum duodena ex ordine? quiddam
 Arcani ex longo tempore forsan habet?
 An quòd defenso Rex Maximilianus honori
 Condidit (ut fama est) hac monumenta suo?
 Quicquid Mysteri; satis est Diadema coruscum,
 Littera quod gestat, Regia facta sequi.
 Regia Laus nunquam moritur. quid Adame requiris,
 Si scis te nullo tempore posse mori?*

ILLVSTRISSIMO DOM. D. GVILIELMO DO-
 mino & Gubernatori Domus Rosenbergiæ, in Krumb-
 navv, S. C. M. Consiliario intimo, & supremo
 Regni Bohemiæ Burggrafio, &c. &c.

*CVr Rosa purpurei perfusa ruboris odore
 Stemmatis est signû, magne Guilhelme, tui?
 Causa subest jucunda: equidem breviuscula pulcra,
 Quæ nova manè, senex vespere, Vita Rosa est.
 Sed decerpta tamen genuinum servat odorem,
 Quo tandem fuerit cunq; reposta loco.
 Quid? quòd & in varios patitur se vertier usus,
 Ut decus, ut cibus, ut sit medicina simul.
 Sic Rosa non vitam, sed vitæ munera signat,
 Quæ rubet in clypeis tota vetusta tuis.*

Vnica

*Unica perpetuum Virtus tibi spirat odorem,
 Illa tuos quondam nobilitavit Avos.
 Et tu consilio & mirando flumine lingue
 Prisca Boëmorum jura fidemq, tuens,
 Nonne, diserte Heros, aliusq, tibiq, tuisq,
 Escibus, es decus, & tu medicina simul?
 Floreat ô nomenq, tuum, felixq, Rosetum,
 Digne senex tali nomine, digne Rosâ.*

DE VRSIS EIVSDEM.

*Quarere plura juvat : dextrâ, levâq, minaces
 Cur Vrsi cingunt stemma, Guilhelme, tuum?
 Scilicet Ursinûm, latè quos Itala jactat
 Terra Duces, ego sum sanguine cretus, ais.
 Ergo nihil miror, quòd sermo, gestus, Imago,
 Omniaq, in te sunt principe digna Viro.*

ILL. DO. D. VVOLFANGO ROMFF, LIBERO
 Baroni à VVuelros, in VVeitrach, S. C. M. Confil.
 intimo, & supremo Camerario. &c. &c.

*Stella quid, & triplex cassis, foliumq, triforme:
 Omnia virtutis sunt monumenta tua.
 Munere Casareo clares, doctôq, virescis
 Ingenio, versans nocte dieq, libros. (est,
 Quòd si non Virtus, Vvolffgange, obnoxia morti
 Dic tua quo poterit tempore fama mori?
 EIVSDEM SYMBOLVM.*

R. iij

In

In te tota fides mea, Spes, & cuncta resident:
 Confundar nullo tempore, sancte Deus.

ILLVSTRIVM ET GEN. DOMINORVM DOM.
 à Trauthson, Lib. Baronorum S. C. M. Consiliario-
 rum intimorum &c. &c. Insignia.
 Parentis & Filii.

Trauthsonidum vigiles animos, cautos, placidosq;
 Gallus, pulvinar molle, caperq; docent.

Cui vigiles animi, cauti, placidiq;, quid ultra
 Expetat? hi tutò vivere quemq; sinunt.

Vivite vos etiam vigiles, cauti, placidiq;
 Trauthsonides: sic non vester obibit honos.

VIVE VT VIVAS.

MAG. DOM. D. GEOR. CHISELII SERENISS.
 Archid. Carolo à Consiliis. Symbolum.

VT posthac vivas, vitam hanc sapienter adorna,
 Velle tuum eternum vivere, velle mori est.

EXILIVM CHARITATIS: AD IOAN.
 Richter Senat. Oppav-

DE te quid alma passim jactet Charitas
 Nosti Ioannes ó Vir candidissime?
 Expulsa mille sedibus quero locum,
 (Inquit) mihi: diu sed frustra querito,
 Donec Deus mihi Ioannem Iudicem

Ipsa

*Ipsa re et ipso nomine equum obtulit.
 Ingressa vix etiam beata limina,
 Quum gratulantium plausus in aethere
 Vocantiumq; me, meumq; Iudicem,
 Ad Iudicem supremum, audirem suaviter.
 O Iane te felicem hac Hospite hospitem!
 Beatus ille, cui cara est pia Charitas!*

IACOBO HANDELIO MUSICO CL.

*Qualia tu nectis vocum discrimina, Galle,
 Tale suäve facit non Philomela Melos.
 At cur nomen habes, clarissime Musice, Galli?
 In cantus vigilas nocte dieq; sacros.*

MAGISTRATVS OFFICIUM MART.
 Mathusio Consuli Cofelano.

*Esse Magistratum, mihi dic Martine Mathusi,
 Lumine cur captum, cur manibusq; decet?*

INSIGNIA CASPARIS GEBHARDI.

*Non ego jam caussas scitor (quid aperta requirem?)
 Cur te Casareus nobilitarit Amor?
 Sed Leo, sed duplex Aquile Ala, & Lilia bina
 Illustrent galeam cur clypeumq; rogo.*

Quis

*Quòd, Gebharde, tibi Natura sit optima, nempe
 Quòd moderata, docet significat & Leo.
 Candida candorem, rosea ingenuumq; pudorem,
 Assignant animo Lilia bina tuo.
 Perq; suas Virtutis iter Iovis Aliger Alas,
 Alta quibus pernix tendit in astra, notat.
 Sic pro Cæsareo sudore fidesq; laborq;
 Sic te Cæsareus nobilitavit Amor.
 Sic reliquos Fratres, operum comitesq; SebalDOS,
 Sic omnes vestrà stirpe domoq; satos.
 O quantá cum laude geres insignia, virtus
 Si te plus ultra duxerit, atq; tuos!*

OTIO TORPERE TURPITVDO.

*O*Tia desidiis quasi sunt infame Tribunal;
 Magnanimo tempus perdere, turpe puta!

ABVSVS DIVITIARVM.

*C*Um nil ferre queant, tamen admiranda videtur
 Res mihi, stulticiam quòd patientur opes.

FINIS LIB. II. EPIGRAMMATVM.



EPIGRAMMATVM

EROTICORVM.

Cur amatoria scripserit.



*Vcentem vario diversa Epigrammata filo
Mollis Amatorem me quoq; Musa facit:
Ergo, utcunq; sequens veterum vestigia Vatum,
Pieris experiar quantum in amore queat.
Non tamen in nostrá Passer lascivus habebit
Arte locum, turgens spurciciave Pulex.
Non furtiva cano cytherea gaudia Matris;
Lesbia nulla mihi, nulla Corinna mihi.
Immodicos miscet non pagina nostra cachinnos,
Non ea Basiolis Suaviolisq; furit.
Argutos aliis hos illa relinquit Amores,
Virginei Sociam se, memor, esse chori.*

DE EADEM RE.

*NE mirare, mihi quòd Amandula dicitur esse,
Quod facio Socrum, quod Socerumq; mihi:
Quòd nunc delicias centum, nunc fingo querelas,
Quòd modò in urbe jocor, quòd modò rure queror.*
S Per-

*Persuadere sinas tibi, quòd sit Amandula in omni
 Naturá rerum, quam cano, nulla mihi.
 Fata illam invenient quondam: quam fingo, Puella
 Ingenii est lusus, prætereaq, nihil.*

IOCVS DE CITHARISTRIA,
 Fœminá ingeniosiss. & castiss.

ORe manuq, sonos cieat cum fœmina dulces,
Quis dubitet, num sit Virgo, vel ipsa Venus?
O mihi contingat si talis Elisa petenti,
Qua valeat numeris me recreare suis:
Si sit egena, tamen mihi carior illa futura est,
Quàm qua dives opum sit rudis ingenii.
MVSICA noster Amor, quem non ea permovet, ille
Non homo, sed trux est bestia, mentis inops.
Tu verò, ingenio qua vincis & arte puellas,
Viue Sibyllinos, dulcis Elisa, dies.

DE EADEM.

SI quis cantantem non contempletur Elisam,
E calo niveam juret adesse Deam.

DE EADM.

A Ntè novem Musa, nunc sunt bis quinq; sagaci
Pectore se decimam fecit Elisa Deam.

DE VXORE DUCENDA, LVCAS
Geizcoflerus I. V. D. Suo Salom. Frenzelio.

ERgo mihi Uxorem qualem ducam? anne puellam?
Hæc forsan veniet non satis apta mihi.

An viduam? Dominam quis possit ferre Tonantē?

An vetulam? toleret quis patienter Anum?

Fœcundam? fœcunda domum mihi prole gravabit,

An sterilem? sterilis non decus arbor habet.

Pauciloquam? non me poterit recreare loquendo;

Verbosam? Mulier res odiosa loquax.

Formosam? variis est subdita forma periclis:

Deformem? pœnam ducere numquis amet?

Sic quocunq; meus se vertit nubilis ardor,

Apparent socii damna verenda tori;

Niq; genus Vite hoc sanxisse Christe ligatum,

Libera quis cuperet subdere colla iugo?

Sed quoniam mos est legiq; Deoq; gerendus,

Si dare vis sociam, da mihi, Christe, piam.

SVO CARISS. DN. LVCAE GEIZ-
coflero Frenzelius.

S ij

Ergo

ERgo rogas, qualem tibi ducas? anne Puellam?
 Tam docto nubat quæ minùs apta Viro?
 Non viduam? norunt viduæ indulgere Maritis:
 Cur non fœcundam? Prole fœventur opes.
 Cur non pauciloquam? poteris dare tempora Musis:
 Cur non Verboſam? dulce in amore loqui.
 Formoſam? quam non commendat forma puellam?
 At ſterilem informem nonprobo, nec vetulam.
 Si tamen una tibi continget Amica priorum,
 Si modò grata DEO, grata futura tibi.
 I nunc, & rogita, quenam ducenda ſit Vxor,
 Cum, tibi quæ nequeat nubere, nulla ſiet.

CONIVGIA ESSE FATALIA.

Georgio Polano à Polansdorf, Oppaviæ Chori
 Muſici præfecto, Annæ Zach. Iudicis
 Mathematici Filiæ Sponſo.

NVper ubi obſcuro patriam duxiſſet in Urbem,
 Rure Polanus amans ſpem columenq; tori,
 Muſicus excellens, idemq; Vir optimus ANNAM,
 Qua nil urbanum nil lepidumq; magis:
 Cælo accita Venus caſto ſic ore loquuta eſt:
 Ecquis adhuc dubio carpitur igne Procius?

Deſine

*Desine Amatorum Gens caco percita luxu
 Mi prece, vel precio conciliare toros.
 Non fors, non technæ, non spurca Calumnia, non Res:
 Solum in me Fatum jus habet ante Deum.*

QVI VXOREM INVENIT, REM
 Bonam invenit.

CL. V. Abrah. Schvalbio Med. Doct.
 Amico S. omnib. modis charo.

REm capit ille bonam, qui castâ uxore potitur:
 Divino Salomon Flamine plenus ait.
*Hac Generis spes est, hæc Solamenq, Mariti,
 Hac est, cui tutò credere cuncta queas.
 Hac sine nil aliud quicunq, Vir integer annis,
 Igribus expositum quàm sine fruge Solum est.
 Audin' Abrame, Dei vocem? maturus es avi,
 Et tibi crescentes accumulantur opes.
 Uxorisq, capax satis est domus una, quid obstat,
 Quò minùs in thalamos ingrediare novos?
 Cur desiderium cani suspendis in annos
 Patris, Avumq, vetas protinus esse novum?
 Ecquid hirundineos cunctaris condere nidos,
 Atq, tui similes progenerare bonos?*

*Desine fortunis, atate, & spebus abuti :
 A solo expetitur scemina casta DEO.
 Hac illi, Superum pia quem reverentia tangit,
 Omnibus una Bonis anteferenda datur.*

QUALIS DUCENDA SIT VXOR.

Ad Amicum.

*S*ponse boni Patris Soboles bona, ducitur Uxor
 Pulcra, favens, dives, blandula, caratibi.
 Tene ideo dicam perfectá Vxore potitum?
 Non, quia perfectum non habet illa decus:
 Qui sic? pulcra quidem, & dives tibi ducitur Vxor:
 Sed pia num? testis publica fama venit.
 Quando igitur PIA, pulcra, favens, & blandula Spon-
 Felicem dico te, nove Sponse, Virum. (scilicet:
 Barbara nil ergo minus est, quam barbara, grator
 Hanc tibi Barbariem, mi similemque precor.
 Tu verò, patrios imitatus gnauiter ausus,
 Vtere successu prosperiore tori.

AMICO REPVLSAM PATIENTI.

*N*E moriare; tua refero responsa Puella,
 Dicam, si non vis falsus amore mori.

Ter

Ter rogitata refert suffusa rubore pudico:

Desine me Comiti conciliare tuo.

Si tu, blande, fores, qui nostrum ambiret amorem,

Acciperes animi sensa repente mei.

Hem latet hic Anguis? Tu ne moriare: sedesse,

Disce, opibus vero nullum in amore locum.

IN ADOLESCENTVLVM

Amatorem.

*T**Am serò te, blande Puer, submittis amori,*

Debebas dudum qui subiisse jugum?

Ergo moram castigato, cape fortiter arma,

Quæ si Virgo negat tradere, Virga dabit.

DE AMORE.

An lusus an natura sit amare, rogatum est?

Natura est expers, quisquis amore caret.

DE EODEM.

*Q**ui non formosam casto ardet amore Puellam,*

Angelus est ne bonus? dic, vel inanis homo?

AMANDVLAE SVAE.

Qui

*Q*ui negat, immotis fieri connubia fatiſ,
 Non errat, caloſi negat eſſe Deum.
 Dum viſum eſt fatiſ, ut bino corpore quondam
 Unum ſub thalamum defluat unus amor:
 Nec prece, nec precio mihi tu juvenumve ſenumve,
 Nec vetula ullius præripuere dolis.
 Sta modò, & arbitrio mea nitere Amandula Chriſti:
 Reſ ſalva eſt, ſi ſit Pronubus iſte tuus.

EIDEM.

*O*Mnia fert tempus (quis nescit Amandula?) in au-
 Sed tibi quæ dico, pauca reconde ſinu. (rem
 Eſt aliquid plenâ legere Arbore poma, & amœnam
 Ungue vel extremo carpere poſſe Roſam.

QVATVOR CARA.

*Q*uattuor arrident mihi delectamine pleno,
 Et pariunt oculis gaudia mille meis:
 Pulcer Equus, pulcerq; canis, pulcerq; Libellus:
 Quid quartum? è pulcris pulcra puella placet.

AMANDVLAE S.

*N*on mihi verùm aliis hoc nomen, Amandula, ſingo:
 Mi ſatiſ eſt, aliud noſſe, quod unda dedit.

Res

*Res est mira tamen, quàm tu mihi visa fuisses,
Nomen perplacuit semper, Amica, tuum.*

AD ARBOREM AMANDVLAE.

Salve Arbor, salve nostris jungenda racemis:

Te quoties video, pectore surgit amor.

Surgit, Et ut magno ducam suspiria motu,

Tu facis altisonis conspicienda comis.

Tu Domina vultus nostra, tu porrigis ora,

Quùm vetat alloquio disita terra frui.

Alloquor absentem tamen: at tu visa dolorem,

Quo me non gravior concutit, una levas.

Scilicet agrotis rudior Medicina paratur,

Quando Machaoniâ non datur arte frui.

Perge levare tamen nostrum, Arbor amica, dolorem,

Dum penitus tollant fata favensq, Venus.

Idq, aut legitimo sociandi jure futurum est,

Aut incredibili cogar amore mori.

AMANDVLAE.

Vsq, adeo tutum nihil est in amore, quod ausit

Non Comes invidia carpere Livor iners.

T

In

*In quibus esse fides debebat maxima, in illis
 Est (quod mens horret dicere) nulla fides.
 Tales sunt, alii qui nomina magna gerenti
 Te clam devoteant inuideantq; mihi.
 Utq; tuam expugnent, constans ó Amandula mentem,
 Utuntur variis artibus atq; dolis.
 Quid tum? deditio (quod non puto) si qua futura est,
 Illa mihi cedit nobiliore loco.
 Sape nimis serum est spretos revocare hymeneos,
 Sape repentinum, splendida amasse, nimis.*

EIDEM DE INVIDO.

*Rumpitur invidiá, carissima Amandula, quidam,
 Exemplo quod tu me Genitoris amas.
 Rumpitur invidiá, quòd rus accedo paternum
 Nonnunquam, atq; tibi vix tria verba loquor.
 Rumpitur invidia, quòd ad ora Parentis amici
 Sape Thalia meam sustinet apta vicem.
 Rumpitur invidiá, quòd, dum mihi provida servant
 Fata fidem, spondet Sors mihi dulce Bonum.
 Rumpitur invidiá, quòd amor, legor, audior, ornor:
 Rumpatur, quia vult, protinus invidiá!*

DE NOMINE AMANDVLAE.

EXprimo quòd nullum, sed nomen fingo puella,
Cor nostrum dubio dicis amore rapi.

Ne me Subsanna: nomen quodcunq, puella est,
Et quaecunq, illa est, est mihi certus amor.

AMANDVLAE.

AVt me dic hominem, si vicero, Amandula, amorem
Caratum, aut saxum, si quoq, victus ero.

EIDEM.

Quòd, mea spes, mea Fax, te corde medullitus, usu
Carior ut magne sis mihi lucis, amo:

Quòd mea tu claudis somno, recludis & absens
Lumina, ne quis sit te sine dulcis amor.

Quòd splendore tuo mentis nigra Nubila nostra
Discutis, ut pectus molle serenet amor:

Quòd mihi Materies scribendi, potus, & esca es,
Ut desiderii tædia vincat Amor:

Non adducor opum rabie, qua liber abhorret
Omnis homo: ducam, nubere nolo tibi.

*Ore verecundus pudor, ingenuiq; character
 Sermo animi casti semen amoris alunt.
 His cordata præt pietas tua, cujus es hæres
 Ex patris ingenio, Matris & arbitrio.
 Nunquam discedo de te, repetoq; penates,
 Quin aucta stimuli me pietatis agant.
 Tanta tibi virtus? quid fiet Amandula demum,
 Quum Deus optato junget utrumq; toro?
 Testor Eum, penetrare videt qui cordis operti:
 Ne vivam, si se Res secus omnis habet.*

EIDEM.

Ne absentis oblivione capiatur.

*NE dubita, memoremne tui, mea Amandula, mentē
 Sustineam, longum dum tero mæstus iter.
 Nunquam Sol lucem, nunquam nox astra reducit,
 Quin gemines solitas, o mea Cura, preces.
 Te modo ne pietas in me, ne deserat ardor,
 Neve absens mihi sit perniciofa fides.
 Interea si te quis contulus ambiet Heros,
 Ne splendore tuum cor moveatur opum.*

Has

*Has etenim qui plus, animi quàm munera, spectat,
Erroris pœnam dat minus ingenui.*

“Non quidvis aurum est, quod amœno sole coruscat,

” Sapeq, sub finem splendidus Emtor eget.

*Si tamen haud falsus color est, quàm saepe secundis
Pœnituit primos posthabuisse procos !*

*Conjugis ab si non fieres, sed fortè Tyranni
Conjux (fata procul quod remove velint)*

*Cogerer injuste nimium memor esse repulsæ,
Atq, tuam toto corde dolere vicem.*

*Quid moneo? mea ne hoc cōmittat Amandula, ut auct
Pro precibus curas ingeminare meas?*

*Quin priùs àc ànimo succedat opinio talis,
A mente incipiam, ó Mens mea, abesse meâ.*

E I D E M.

*D*Uplex Vita mihi, cui te mediam ingero, Mors est
Vna : vin' ó mea Lux, clarius ista loquar ?

*Mors mea, si me absente alius tibi claudat ocellos,
Alter a Vita mihi M V S I C A, prima Deus.*

D E E A D E M.

T iij

Mentitur

MEntitur, quicumq; meam dare verba Puellam
Asserit; esse negat perfida, fida simul.

IN SERTVM AB AMANDVLA
 donodatum.

HOc, propriis manibus quod legit Amandula, sertũ,
Non marcescentis semen amoris alit.

AMANDVLAE SVAE.

Non amat, insanit, verum qui comprobatur illud,
Quantum oculis, animo tam procul ibit amor.
Nam meus (hei peccas, nisi dulcis Amandula credis)
Quàm procul ex oculis ibo, manebit amor.

EIDEM.

Definitio Amoris.

QUeris, Amor quid sit? preciosa molestia cordis,
Ocia quod studiis perniciose premunt
Est pudor in puero, Rubor est in Virgine, & Ardor
In Iuvene, est fallax in Muliere furor,
In Sene Risus Amor. quid, Amandula, colligis inde?
Aut malus, aut bonus est (subijcis) omnis amor.
 Ille

*Ille furor, risus, vaga flamma, molestia cordis,
 Iste bonus pudor est, ingenuusq; rubor.
 Et noster rubor est, pudor est, castissima flamma est:
 Vis finem attingam? noster Amor Deus est.*

AMANDULAE ANTE
 discessum.

A^H nunc tempus adest, quo basia mille, susurros
 Mille, jocos totidem distrahit una dies.
*N*i spes restaret redeundi ad gaudia mille,
 Vita nihil minus hac quàm mihi Vita foret.
*T*e verò interea, mea Spes, mea Cura, quid horter?
 Immemor esse tui si potes, esto mei.
*I*amq; vale aternos, mea dulcis Amandula, Soles:
 Cetera, quæ volui dicere, fletus habet.

EIDEM.

*V*ltima Vox nostros cum fletu finit amores:
 Cur? quia cum lacrimis rumpitur omnis Amor.

FINIS LIBRI. III.



EPIGRAMMATVM

FVNEBRIVM, SIVE TV- mulorum.

TVMVLVS CAROLI V. IMPER.



Carolus hac Quintus, Miles clarissimus
(Urna

Conditur Austriaca prima Columna Do-
Nomen erat dixisse satis: sin plura requiris; (mus:
Magnus Alexander, Maximus iste fuit.

TVMVLVS FERDINANDI
Imperatoris.

Hic situs est, cujus Virtute vel athere major
Austriaca laus est amplificata Domus.
Ferdnandi tumulum cernis: satis esto, Viator:
Ferdnandi laudum non capit Orbis opes.

TVMVLVS MAXIMILIANI II.
Imperatoris.

Nomine Cognato, nulli pietate secundus
Cesar huic Saxo Maxmilianus inest.

Humano

*Humano ingenio longè sapientia, longè,
Luxit in hoc sancto quæ Duce, major erat.*

TVMVLVS ELECTORIS PA-
latini Ludovici IIIL.

Ille Palatinus jacet hîc Septemvir, amavit
Qui pacem, populos omniaq, ante Deum.

ALIVS EIVSDEM.

Ipsa jacet pietas sub magno hoc condita saxo :
Mortuâ si pietas, quis modò tutus erit?
Estne ita? prò dolor est: nam, si fas vera fateri,
Hîc, nil qui potuit, quàm pius esse, jacet.
Dic age, qui tantus Vir? Dux Lodoicus, amavit
Qui pacem, populos, omniaq, ante Deum.

TVMVLVS AVGVSTI

Electoris Saxonix.

NE nomen te fallat idem, non ille sepultus
Hac jacet Augustus Induperator humo:
Quo regnante DEI vitales imbibit auras
Filius in castâ virgine factus homo.
Augusto tantùm par nomine, Numine major
Hic jacet Elector Cesaris Ausonii.

V

TVMV-

TVMVLVS EIVSDEM.

*Augustus jacet hic & major nomine, & omni
Laude Pater patriæ : cetera fama docet.*

TVMVLVS IOACHIMI ERNESTI

Principis Anhaltini.

*Stirpis Anhaltinæ Germen memorabile, Princeps
Hac Joacim Ernestus conditur in foveâ.*

*Stirps hæc continuos dedit ut pietatis Alumnos,
Sic auxit laudes stemmatis iste sui.*

*Non jacet æternum, sed floret ad horrea celi,
Quisquis, ut hic Princeps, conditur in foveâ.*

DE OBITU ILLVSTRISS. PRINCIPIS

Georgii, Ducis Lignicensis & Brigenfis &c.

*Quem calum terra, quem calo terra sepultum
Invidet, huncne Ducem, Semideumve putas ?*

TVM. M. FLACII ILLYRICI.

*Ille Hircus vastans Christi vineta sub Urna
Hoc jacet Illyricus pondere pondus iners.*

*Siste pedem procul hinc: tumido nam corpore Flacci
Quicquid erat, quicquid pectore, virus erat.*

TVM.

TVM. VALENT. FRIDLANDI
Trocedorffii.

EN lapis iste sacer, sub quo Trozдорffius, avi
Perfunctus fati, notus ad astra jacet.

Si quisquam, hic verè est, ^{ὅς ἐπὶ τῇ χθονὶ καὶ οὐρανῷ}
Natus ad Aonia sceptrā gerenda Scholā.

Mors ipsa ut vidit tot ineptos orbe Magistros,
Pœnitet hunc, inquit, me rapuisse virum.

TVMVLVS EOBANI HESSI.

ANgulus hic templi ne prætereatur, adhortor,
Non est obscurum, quod latet, omne bonum.

Ille sub hoc vates Eobanus cespitem olenti,
Dignus honore omni, nullo in honore jacet.

Is, quia pauper erat, tumulum ut pro laude locaret,
Nemo ita dives erat, nemo ita gratus erat.

TVMVLVS IOANNIS STIGELII.

Hic facilis, purus, doctusq, gravisq, Poëta
Stigelius tumulum gaudet habere suum.

Aeterno cujus Germania nomine facta est
Clavior, huic vatem quantum obiisse putas?

TVMVLVS IOANNIS SAMBVCI.

U ij Hic

H*Ic jacet Orator, Vates, Sophiæq, peritus,
 Maximus & divi Caesaris Historicus.
 Quem si perpetuo Sambucum haud consecrat ævo
 Historia, haud ejus digna labore fuit.*

TVMVLVS THOMAE ERASTI.

H*Ic Thomæ Medici corpus putrescit Erasti,
 Quo super obstupuit Phæbus Apollo pater.
 Ab desiderio quot nunc tanguntur Erasti!
 " Sed moritur, medicam qui dat & orat opem.*

TVMVLVS LVCAE FRENZELII
 Avi sui.

I*Nter, eos, qui scita Dei veneranda colebant
 Ore, fide, cantu, moribus, unus eram.
 Viribus exhaustum cum Coniuge Filius Arná
 Me Salomon fovit pro pietate suá.
 Expleram sex lustra, decemq, Senex, quum Filius
 Extremum morti præstitit officium. (idem
 Nunc his sub terræ Lucas Frenzelius umbris
 Coniuge cum carâ & Nepte quiete fruor.*

TVM. IOAN. BAPT. MOIBANI
 Med. Doctoris, Avunculi sui.

Môibanus

Moïbanus Pater Ambrosius, Patriæ Decus ingens,
 Anna mihi Genitrix & Bonikinna fuit.
 Bresla mihi Cunas, doctrinam Gallia, eandem
 Italia, Ingenium Pallas amica dedit.
 Philosophum studium, Ars medicum, Natura Poëtam
 Fecit, pictorem me simul Artificem.
 Uxorem & Sobolem dedit Vrbis Augusta, penates
 Auxit, & illa suo me sepeliuit agro.
 Invito me fama volat: Baptista Ioannes
 Quinq; procul Fratres artibus anteit.

TVM. ZACH. MOIBANI.

E Moibanorum numero, quos non tulit error
 Degener, hic unus Zacharias situs est.
 Bresla cui vitam dedit, huic Svinfordia rursus
 Abstulit, à cuius tota pependit ope.
 Namq; Scholam rexit prius arte, deinde Senatum
 Consilio; quæ sunt cætera, fama docet.

TVM. LAZARI MOIBANI.

Lazarus exanguis jacet hac Moïbanus in umbra,
 Cujus erat Spira docta probata manus.
 Non ille à magno Patre degeneravit, ut esset
 Aut rudis, aut mordax, aut furiosus homo.

*Quartus erat Fratrum, quos fecit Musa modestos,
Quosq; graves, doctos, conspicuosq; viros.*

TVM. HIERON. VVOLFII V. CL.

*V*Wolffius hic situs est Hieronymus, in clitus arte,
Quem qui non novit, legit is hercle parum.
Centum huic si formæ Dotes Natura negavit,
Ingénium contra munera mille dedit.

TVM. SIGISM. RIBISCH,
Consiliarii Cæsarii.

*S*igfridus posuit levi hoc sub marmore corpus
Ribischi, famâ, munere, clarus Avis.
Hunc si novisses, quisquis legis ista Viator,
Tot, mirareris, dona fuisse Viro.
Ingénium excoluit discendi maximus ardor,
Virtutem accendit Gloria, digna Viro.
Iudicium mores tot formavere, quot Urbes
Lustravit, varios quàm peragraret agros.
Sedulus incubuit Musis: hinc summa voluptas
Inter delicias Bibliotheca fuit.

Cum

*Cum doctis conferre viris gaudebat, & inde
 Nil domus ipsius, quàm Schola docta fuit.
 Sic illustre genus virtute illustrius auxit,
 Ipsa etiam Major nobilitatè Senex.*

ALIVS EIVSDEM.

*Qui jactatis Avos, Atavos, Atavumq; colores,
 Si solum nomen Nobilitatis inest,
 Cedite, vel linguas cohibete, vel optima quæ sit
 Discite Nobilitas, Umbraq; nobilium.
 Illa sibi nomen vel Marte vel Arte paravit:
 Hæc est (si quidquam est Umbra) fugax species:
 Illam sectantur quicumq;, probantur avitâ
 Stirpe, hanc qui jactant, nil nisi inane pecus.
 Illam Ribischius teneris sectatus ab annis
 Salva sub hoc tereti marmore membrategit.
 Quam modò legisti veram esse, Viator amice,
 Nobilitas Ribisch strenuus Ipsa fuit.*

ALIVS EIVSDEM.

*Ribischius jacet hoc Sigfridus marmore clausus
 Casarei Custos, Luxq; Decusq; fori.*

TVM:

TVM. MATTHAEI VVESENBECHII
IC. CL.

Mattheus situs est hac Vvesenbecius Vrna,
Miraculum Italiae, Gloria Teutoniae.
Jurisconsultus nulli hac aetate secundus
Ingenio, eloquio, sedulitate, fide.
Quem mordet laus ista Viri, sit doctior hoc jam
Exstincto, vivum vincere quem nequit.

TVM. GEORGII EVERHARDI
IC. CL. Profess. Ingolstadt. Praecep. sui.

Quis tumulo hoc recubat? nomen si dixerò, dices:
Non potuit verè non bonus esse Vir hic.
Natus Everhardum Stirpe est: nil amplius effer:
Sat didici: stirps hac nil mediocre tulit.

TVM. IACOBI OETHAEI EPISCOPI
Eichstädiensis Medici.

Oethaus medicæ clarissimus arte Iacobus,
Caelo animam sacrans, hac requiescit humo.
Si candor, pietas, doctrina, modestia mortem
Oppeterent, omnes hac tegerentur humo.

TVM.

TVM. PERFIDAE VXORIS G. R. N. S.

Occidit Invidia stimulis confossa trifulcis
 Fœmina, quam serò contegit iste Lapis.
Ille verecundi bonitate malè usa mariti
Plenum odiis gessit cor, faciemq; minis.
Hæredem exclusit socium moritura jugalem,
Atq; aliis nullo jure ^{legit}avit opes.
Quas tamen ingenuus Vir honestis auxerat antè
Artibus, heu nimium credulus, atq; bonus.
Perfida vix animam moriens efflaverat vxor,
Quum Manes circum busta dedere sonos:
Sic vobis miseri non fertis aratra Iuvenci,
Sic vos non vobis mellaparatæ Apes.

TVMVLVS VXORIS VVENCES.

Vveicardi.

VVeicardo breve nupta Viro dum tempus adhasi,
 Quamquam animo, membris non Catharina fui.
 Conditio hæc hominum! nunc saxo hoc condita verè
 Nupta animo & membris sum Catharina DEO:

TVM. LAVR. BAUDISII I. V. D.

PP. Monstерб. Consiliarii.

X

Vere

Vere renascuntur florum ornamenta, cadunt q_z:
 Flos brevis est, breve Ver, vitæq_z nostra brevis.
 Verè cadit verè flori assimilandus ameno
 Baudisius, generis Gloria prima sui.
 Cur adeò immaturus obit? quia carus amicis,
 Principibus carus, carior ille DEO est.

TVMVLVS RELIGIOSISSIMAE
 Fœminæ, à perditis & nequam hominibus
 Veneficii falsò accusatæ.

Quæ Christum à teneris constanter amaverat annis,
 Cui verè antiquum pectus, & ingenium:
 Cui cura una fuit pietati assuescere Prolem,
 Præ qua se pietas noverat Ipsa minùs:
 Proclamata tamen toti hæc Trivenefica mundo
 A malè consutis fraude doloq_z fuit.
 Post longas lites ipsam insuperabile VERVM
 Afferuit puram labe, iubente DEO.
 Polluit at falsas Infamia publica mentes,
 Et Vindicta malas dilapidavit. opes:
 Tandem, mille licet curis confecta, Senectam
 Fœmina supremam religiosa suam
 Tanto ardore precum clausit, pietateq_z tantâ,
 Pectus in humanum quanta venire potest.

•Ejus

*Ejus honoratò jacet hoc sub cespite corpus,
In quo non fuerat mica vel una doli.*

*Spiritus expectat cupidus cœleste Tribunal,
Iudicet ut, quæ sunt discutienda, Deus.*

TVM. ROSINAE IOSEPHI CLITTONIS FILIAE.

*Viva fui Rosa spinosis circumdata dumis,
Mortua cœlesti floreo tuta solo.*

*Nil habet humani, qui vitam hanc esse perennem
Credit : Vita Rosa est hæc, breviorq, Rosâ.*

TVMVLVS PVELLAE IOANNIS EIVSDEM FILII.

*P**atris Iosephi Ioannes Filius Vrna*

Hac vireo parvo corpore prima Seges.

Fatum accusarem, nî gnarus temporis essem :

Non malè, qui vitam tam citò claudit, habet.

TVM. SAMVELIS VALEN. DRES-
leri Confil. Brandeb. Filioli.

*I**nfans hic jaceo Samuel nondum integer anni,
Dreslero natus, spes bona cujus eram.*

Spes hic frustrata est, sed eum non fallit olympo :

Cur ? quia nil certum est hic, nisi Mortis iter.

TVM. IOANNIS MAII FILIOLAE
In aquis frigidis suffocatæ.

*Hoc ego quæ tumulo jaceo Elisabetha, sub undis
Occubui casu flebiliore pedum.*

X ij

Triste

*Triste genus mortis! sed quòd nondum altera Messis
Visa mihi fuerat, nescia labis eram.*

*Hinc mihi nil metuo, sed gaudeo, me citò mundi
Emersisse malis innumerabilibus.*

*Joannes genuit me Christi Buccina Majus:
Sum, reor, hac uná parte beata satis.*

TVM. IOAN. FERSII.

*Fersius hìc jaceo Ianus post longa Scholarum,
Tedia, cui cunas Pannonis ora dedit.*

*Formanti mores puerorum & pectora dictis
Bresla mihi thalamum, Bresla dedit tumultum.*

TVM. LVDOMILLAE CIVIS

Suidnizensis, Agnatæ suæ.

*Lux Matronarum Decus Exemplumq; piarum
Hoc Ludmilla loco Pfortneriana jacet,*

*Consulibus nata est, & nupta deinde duobus,
Ob aotes animi principe digna Viro.*

TVM. HEDVVIGIS. DAN. SCEPSII

Physici Medici Suidnicensis Vxoris.

*Scepsius Hedvigin me nuper habebat: at illi
Ereptam hoc Parca deposuere Solo.*

*Omnia Matrone bene convenientia scivi,
Unum nescivi; displicuisse Viro.*

TVM.

TVM. INFANTVLI ABORTIVI.

H*Edv vigis peperit, genuit me Melchior agram
Tilesius: lucem haud vidi ego, luce fruar.*

TVM. THEOD. ZVVINGERI V. CL.

*Zwingeri corpus tantum hac tegit Vmbra: sed Orbis
Totus habet famam, Spiritus astra colit.*

*Quantus Vir fuerit, Vita immortale Theatrum,
Quod plusquam humanà condidit arte, probat.*

TVMVLVS NICOLAI RHEDINGERI

Reipub. VVratisl. Præsidis CL.

C*onditur Aonidum Patronus, & Anchora sacra
Hoc Rhedingerus Marmore Nicoletus.*

*Grande sui generis Columen, Præsesq; Senatus,
Quod Sol est calis, hoc Patriæ ille fuit.*

TVM. PETRI MONAVII.

Medici Cæsarei.

I*N quem doctrinæ Oceanus confluxerat omnis,
Effet ut ex merito Cæsaris Archiater:*

*Hic situs est Petrus Monavius, integer ævi,
Vir solidè doctus, Vir solidèq; bonus.*

*Mors ipsum invidit terris, pia fama sed inter
Lumina Teutoniæ, iussit habere locum.*

TVM. IOAN. ACHOLTII. MED. CL.

Alter Aristoteles jacet hic, alterq; Machaon:
Hospes Commenti nil peregrine legis.

Non est Ioannès indignus Acholtius ista
Laude, Dioscoridem quem vocat Herba suum.

TVM. THEOD. GE. VVOFII FILIOLI.

Ante duos annos, mediumq; gerebar in Alvo
Annæ Matris, in hac qui modò condor humo.

Volfius Aonidum genuit me cultor honestus:

Mors citius capuit: cur? Theodorus eram.

TVM. DAVIDIS ROLLII MARCI

Filii. Ex græco conversus.

Hic Rulli extincti sunt ossa sepulta Davidis,
Aonidum qui spes optima vivus erat.

Vermiculis nunc Esca quidem est revocabile corpus:

Ast animam, qui dat cuncta, habet ipse Deus.

ALIUS EIVSDEM.

Ecce bonum tegit ista boni patris Urna puellum,

Aucta est Discipulo quo Schola sancta DEI.

Vis nomen Lector? Rulli est id, amice, Davidis,

Indole qui magnus, corpore parvus erat.

Quartus ei abstulerat vitam decimusq; virentem

Annus, et ingentem spem, baculumq; Patri.

Illius

*Filius est fati lex immutabilis, hujus
 Ingenii lumen Causa sed utra bona est?
 Vtraque: nam fatum cœleste, quod omnia versat,
 Ingenium cælo reddidit, unde datum.*

TVM. THOMAE THANHOLZERI.

*Conditus est Thomas hac Thanholzerus in Aede,
 Vir doctus, sapiens, & pietate gravis.*

TVM. NICODEMI NIGRINI, GEORGII
 Civis & Typographi Pragensis Filioli.

*Nigrinum tegit ista Nicodemum,
 Tellus me puerum: pater dolori
 Indulget nimio, dicarat omnes
 Fortunas quoniam mihi vel uni
 Suo Delicio, speique dolci.
 Sed tantò fruor hic beatiori
 Somno, calicolum futurus Hospes,
 Quantò divitiis vel una cunctis
 Terra Pars melior Beatitatum est,
 Quæis plausu resonans abundat ather.
 Harum participem meum Parentem
 Malo, à deliciis vacare mundi.*

EX

EX TVMVLO, QVI EST ROMÆ
in templo Salvatoris.

*S*perma fui fœdum, vixi domus atra lutosi
Stercoris: hoc jaceo vermibus esca Solo.

TVMVLVS QVEM SIBI VIVO CON-
[E]didit Author humanæ fragilitatis memor.

*E*sse Poëtarum quem divus Apollo coegit
Partem aliquam, partis dimidiumq; aliquid:
Filius his jaceo Salomon Frenzelius umbris:

*N*on obii in Patriâ, verùm abii in Patriam.

TVMVLVS CANDORIS.

*S*ecula fovebant quem tot labentibus annis,
Amplius hac atas invida ferre negat.

*C*ui prius hospitium tribuere Palatia Regum,
Nunc jus hospitii vel casa parva negat.

*A*tq; ecce atra cohors in me ruit impete facta,
Mansuras exsul dum mihi quero domos.

*N*ec mora, conjunctis jugulant me viribus hostes,
Cum Natis Patres, cum populisq; Duces.

*A*equius expecto nunc hoc sub cespite seclum,
Reddet ubi regnum jus mihi, Cælum Animam.

*Q*uod si quis jactabit: adhuc me vivere secum,
Mentitur: non sum Candor ego, Umbra mea est.

FINIS LIB. IV. EPIGRAMMATVM.

APPENDICVLA ¹⁶¹

CARMINVM.

DESCRIPTIO VITAE HVMANAE,
quam degimus in hoc mundo.



*Quæ librata mea constet sententia menti
De Vita, quam nos mortali degimus Aevo,
Me, Martine, rogas: nec causam prater, eandem
Antea Iudicii plures examine docto
Pensavere viri, mea quæ sit opinio, paucis
Accipe. Postremâ præsertim Aetate videtur
Vita catenati quasi turgens Arca Laboris,
Immenso Errorum Labyrinthus in Orbe, palestra
Plena periclorum, technarum Scena, Theatrum
Præstrigatorum, tellus infausta, ferarum
Turpe Receptaculum, Mons ruptus, & hispida Vallis,
Caligans spelunca, Palus limosa, Nemusq;
Vepribus intortum, campus lapidum aggere hiulcus,
Desertum horribile, & vastum, regio invia densis
Sentibus, herbosum, crescens, & amabile Pratum,
Vipereis plenum sed monstris, Anguibus, Hydrys.
Est hortus sterilisq; simul, florensq; subinde,
Est Fons unde fluunt mordentes pectora cura,
Est Imber, acrimas oculis, fluviosq; ministrans,*

Est Aerumnarum Mare, gurgēs, & ampla vorago.

*Vita humana quies est anxia, dulce venenum,
Inconsulta animi securi cura, laborq;
Irritus, infelix conatus, stulta voluptas,
Infaustum Pondus, Spes ficta & victa, metusq;
Degener, est Risus stolidus, cordata Phrenesis,
Fabula Leticiae fallentis Imago, dolorq;
Verus, Amor falsus, Suspirium inane, tumultus
Plausibilis, sapiens rabies, confusus & ordo,
Solicitudo necans, trepidatio frigida, prudens
Deliramentum, prudentia caeca furendi,
Copia inops, dives paupertas: Vita venustum
Dedecus, & deforme decus, Sors dura, Salusq;
Aegra, vorax morbus, Vis imbecilla, Libido
Accelerans clades, ingloria gloria, honosq;
Languidus, infamis Laus, excellentia rerum
Fictilis, ascensusq; humilis, descensus & altus,
Nobilitas obscura, Vigor brevis, Ancora nutans:
Est Vas rimosum, pertusus Sacculus, antrum
Declive, immundumq; specus. Sentina Malorum.
Hannus inescatus, Sitis insatiabilis, Hydrops
Perpetuus, fallax Desideriumq;, Cupido
Infinita, tenax Vncus, Lima acris, opertum
Rete, rigens Scopulus, tempestas horrida, turbo
Pulvercus*

*Pulvereus, dubii murmur mutabile venti,
 Impetuosus Aqua Fluctus, Pelagusq; sub omni
 Parte procellosum, præmollis Arena, vadofum
 Littus, & inconstans portus, sine præside Navis,
 Flebile Naufragium, rapidasq; immersio in Vndas.*

*Vita Domus fraudum, scelerumq; Cloaca, Caminus
 Frarum, puteusq; odiorum, Carcer opacus,
 Hospitium insidum, Regnum Crucis, Area mortis.
 Vita humana brevis furor, amens plausus, amara
 Dulcedo, querulus clamor, gemitusq; superbus,
 Forma fugax. Vita est species fugitiva, caducus
 Flos, ventosa fides, anceps fortuna, recurrens
 Nausea, ridiculus Vita ambitus, avius Error,
 Lubricum Iter, freno sine luxuriosa Iuventus,
 Et committenti Baculo sine curva Senectus.
 Vita Sodalitiis damnosa catena fovendis,
 Musica Sirenium, crater Circeus, adherens
 Lappa, scaber Tribulus, patriæ structura, fatiscens
 Fundamen, Tectum labens, Angustia lata,
 Murus hians, brevit as prolixa, volubile Saxum.
 Vita manens Cursus, statio malefida, Tyrannis
 Blanda, loquax Torpor, concors discordia, fallax
 Fictaq; Amicitia probitas, simulat aq; Virtus.
 Vita nocens Lis est, & inexpugnabile Bellum,*

*Perfida pax, dolus occultus, violentia aperta,
Simplicitas fucata, latens ignavia, praeceps
Nugarum lusus, dementia callida, perdens
Nequitia, insurgens est Artis Opinio, nulla
Integra Cognitio, Morsus, quo conscia falsi
Mens teritur, fax peccati, stimulusq; dolorum.*

*Vita humana fragor vulgi est, strepitusq; potentum,
Est locus exilii, Lemurumq; habitatio turpis,
Luciferi Imperium, praepostera Cura, suiq;
Cruelis Neglectus, Opum irrequieta Cupido:
Vita est segnities operosa, Culinaq; pinguis
Vermiculorum, imo reptantum viscere terra,
Larva nitens, Vitrum fragile, est tentatio summa.
Vita hac est pulcrum Nihil, est arumna superba,
Splendida de Vivis Majestas Exsequiarum,
Est longum funus, moriens est Vita, simulq;
Mors spirans, est vana, levis, brevis, impia pompa.*

*En, Martine, mihi qualis videatur inri
Vita recens natis infantibus: omnia quanquam
Sensa laboranti non sunt expressa Thalia.
Nam Vita hac (testis probat Experientia) multò est
Deterior, quàm quis (licet omnes Vertice Musas
Evocet Aonio, Phæbo quoq; preside) possit
Digerere in numerum. Sed si, Martine, reponis
Sensibus*

*Sensibus hac imis paucissima; fata tot inter
 Pesima, prospicies unum exoptabile, & ingens
 Esse Bonum: quòd Vita Via est hac tristis ad illam,
 Expertem interitus Vitam, vereq; beatam,
 Si non abducatur nos tramite devius error.*

HYMNVS BEATORVM

In vitá æterná.

O Nova leticie facies! ò gaudia summis
 O longè majora bonis, plena, integra, sancta!
 O Aevum felix, & inenarrabile fatum,
 Quo nunc perfruimur, Triade indulgente beatá!
 O vos celorum renovata palatia, rerum,
 Conscia tantarum, vos ò clarissima Mundi
 Lumina, perpetuos quæ circumducitis annos,
 Sol & Luna Soror, vos & reparata Theatri
 Concilia herbose, silvae, viridaria, & amnes,
 Aemula vos nostris preconia, júbila, plausus
 Jungite deliciis! sed quæ tibi munera, Christe,
 Grata rependemus, qui nos in regna locasti
 Hæc nova, qui vitam tam dulcem mortis acerba
 Supplicio es meritis nostri contactus amore?
 En quam pollicitus Verbo es, quàm Codice sancto,
 Iesu Christe, fidem, pro pacto fœdere servas.

*Omnia, credidimus quæ sacra docentibus olim,
Nunc capere auditu fas est, coramq; tueri.*

*Ah nil sunt casus, nil vitæ damna prioris,
Hoc si librentur cum pondere Majestatis
Æqua lance super! nulla est proportio rerum,
Hic nos compositi gremio felicitis Abrahæ
Calitibusq; pares magnis, sine labe, perenni
Luce coruscamus, Phœbæ Lampadis instar,
Justitiæ radiis, semperq; virente coronâ,
Est quæ, Christe, tuo nobis accincta Triumpho.
Hic tua non tantum, Patris, & Spiraminis almi
Exoptata diu nobis datur ora tueri:
Sed simul ambrosias audire, & reddere voces.
Quid? quod & Ipse Deus sic consuetudine nostrâ
Suaviter afficitur, divini ut plenus amoris.
Det Pater amplexus nobis, atq; oscula figat
Dulcia, detergatq; genis, quas improbus antè
Extorsit lacrimas labor hei miserabilis ævi.
Hic nulla ærumna, nulla hinc est mortis Imago:
Sed securæ quies, & vivacissima vitæ.*

*O fata, o verè pia fata! quis Angelus unquam
Summa, quibus nos hinc cumulat, gaudia fando
Explicit? astriferi si singula lumina celi
Ora forent, terræ si singula gramina linguae,*

Non

*Non ea dicendi vis omnibus esset, ut unum
 Delicii cœlestis opus satis ordine dextro,
 Et dignâ vocum gravitate referre valerent.
 Quòd si mille sibi similes pulcerrima mundi
 Machina structuras in molem duceret altam,
 Non sortem mutare novam cum sordibus illis
 Unquam cura foret: quia nostra gaudia vitæ
 Gaudia sunt magno constantia, nempe cœmpta
 Morte DEI Nato, cujus Victoria nostra est:
 Gaudia que nullis sunt inferiora triumphis,
 Gaudia nil toto quibus excellentius orbe est,
 Gaudia non oculo prius ulli visa, nec auri
 Vlli audita prius, nec cuiquam credita cordi,
 Gaudia tergemina que Majestatis honorem
 Extollunt, plaususq; cient, praconia, gestus,
 Vota, preces, cantus, sermones, jubila, plausus
 Ex his momentis in secula perennia vite.*

*Ejulationes Damratorum in Inferno ab eodem descriptæ non potuerunt
 hic subjungi, quòd ad manum non essent.*

DE SANCTA TRINITATE.

*Non homini majus poterat dare pignus amoris,
 Quàm quòd sese homini Deus ardens tradidit ul-
 Nec melius Donū est, quo confirmetur amoris (tro.
 Pignus id egregium, quàm sancti Gratia Flatus,
 Ter*

*Ter quatuor lustrans qui flamma in imagine Fratres
Iure Ministerii dictos, non sanguine, linguas
In peregrinarum solvit discrimina vocum.*

*Quanta ab parva sumus cura nos turba parenti,
Quod Triade è sancta, per aprica palatia celi,
Æquales virtute Duos dimiserit olim!*

*PROGENIEM æquavam, cujus stat sanguine fuso
Nostra salus, cujus stat acerbo funere, vita:
FLAMEN & æthereum, quod corda perambulat æstu
Casta salutifero: ventosæ sibilus aura
Ora Viatoris velut afflat anheles, novasq;
Suscitat occultè sudanti in corpore vires.*

*Res igitur salva est: nostram Deus Ipse salutem
Prosequitur curâ, quamam minitancia casus
Fata timeremus? homines Deus ardet, & idem
Servat ab hostili nos tutos impete, Nati
Victus amore sui: quare omnem in Numine Christi
Ponimus auxilii spem, cui fiducia constans
It comes, & comitem sustentat honore precandi.
Ut verò orando mansuescant pectora patris,
Credamusq; DEI non cassa in vota vocari
Prorsus opem, impellit nos Spiritus iste, & amorem
Flectit ad obsequium, ut sapere incipiamus, & acta
Surrepant animis fastidia conscia culpa.*

Ergo Rudimentum de sancti munere Flatus
Discite: namq, Patri par est, par Numine Nato,
Progrediturq, ab utroq, DEVS sine fine, sine ortu.
Ipsa animos sociante pios, per vincula verbi
Semper adhaeremus nos Fratri vivida Christo
Membra nec exitium, nec vim, nec tela timemus,
Quod si contingat, pavor ut celer ossa pererret;
Illa animos addit, contraq, audentius hostem
Ire jubet, motusq, novos in pectore labis
Concitat expertes: ut quae bona dictitat intus
Dux Ratio, summi jurata in verba Magistri:
Hac foris adstricto firment impexa capistro
Ora probetq, tenax pietatis regula morum.

Gens operata sacris, Ipso Duce, & Auspice, passim
Colligitur: crescit sic sponsa Ecclesia Christi.
Et quoniam jus ille Dei immortale tuetur,
Quod proprium est, omnes ut in oras exserat Orbis
Divinas Vires, Majestatemq, verendam:
Sic proprio probat esse Deum se jure, quod omnes
Exserit in terrae tractus, & climata cali.
Ipsius instinctu Vates oracula prisci
Concinuere, fidem pia per miracula probantes.
Nec verus, nec dignus honos decernitur ipsi,
Si renuit distante sacro Spiramine scriptis

Mens libris adhibere fidem, & fundamine niti.
Hinc fit, ut haud sacer hic sese omnibus implicet Ignis
Pectoribus: sed quos Iesseâ è stirpe propago
Leta tulit, mentes horum dignatur inire.
Stirps hac est Catus sacer, est Ecclesia, lethi
Nescia, et interitus: quanquam omni parte prematur,
Opprimitur nunquam bene conscia, & amula palma.
Hac sua scita refert de pace, Authoreq; pacis,
Qui de Iesseâ duxit primordia carnis
Intemerata Domo: magnum velut ergo per Orbem,
Hac dispersa Domus gremio prolata Parentis
Applicuit documenta sibi, neq; deserit unquam:
Sic nos membra sumus Iesseâ Carnis, ab uno
Associata Deo: sed ne Discordia rumpat
Felicem infelix compagem, fœdere miro
Construam, nostrum est legem, quam Spiritus ille
Entheus humanis infudit cordibus, omni
Exprimere obsequio fidei, probitatis, & artis,
Hic vero hic animis opus est, studioq; tenaci,
Sancta medullitio ne pectoris excutiat
Avra Dei, à solità prece degenerantibus ausis.
Ab nil triste magis, nil perniciosius est, nil
Fœdius, hunc tantum quàm sede fugare profanâ
Hospitem, amicitia dignum, cultuq; perenni!

Hoc semel expulso, stabulum sit turpe Satanae,
 Quae Domus antè DEI fuit ornatissima Sedes.
 Mens errat, misera nimium vicina ruina,
 Indiga consilii, lucis, Ducis, ordinis, equi.
 Religio est igitur dicto factove beatum,
 Hunc violare Ducem, Triados qui tertia summa
 Flamma volat : nam qui crimen committit in illum,
 Luce animi orbatu veniam, quae Semita Vitae est;
 Nequicquam expectat. de Gente quid ergo futurum
 Vēsana, prodire negat quae Flaminis Auram
 Aetherei è Nato, socioq; Parente, quòd ire
 Non simplex ab utroq; queat? sed inania mentis
 Portenta excutio : si virtus una Parenti est
 Et Nato, si mens una, una potentia, & unum,
 Amboq; si Numen inest sine fine; quid obstat,
 Quò minùs esse queat simplex ab utroq;? probabit
 Principii id Ratio: solidè spirabile Numen,
 Producit Genitor : cur non quoq; Filius avo,
 Viribus, imperio, par Numine, nomine dispar?

Quippe sui similis semper Deus unus & idem est:
 Hunc tamen effectus nos trinum agnoscere fas est.
 Gignit ab eterno Patris sapientia Natum,
 Exit ab eterno Nato, & Patre Spiritus ingens
 Laudibus, arbitrio, regnoq; aequalis utriq;.

*MENS Pater est, Natus SERMO RATIOQ., VOLUNTAS
Spiritus: est trinum Exemplum: Trib. una potestas.
Omnia per Sobolem, Flatu vegetante laborem,
Continuat Genitor: sic trino in Numine regnat
Numen idem: hinc DIXIT Genitor, quæ deniq;*

FECIT

*Filius: at VIDIT plenum alto Numine Flamen,
Omnia successu in formam coisse secundo.*

*Fundamenta Pater rerum disponit, ea ornat
Filius, exornata fovet sacer Halitus: ergo
Infundit Vitam Genitor Mortalibus agris:
Hanc referens in se derivat Filius, auget
Flatus, alitq; potens, spiramentisq; quod usquam est,
Servari probat omne suis, sic ore, manuq;
Nos Nati, Elysi carpentes avia campi
Signa pedum retrahit Pater, omni major amore.
Tum verò parat obsequio conformia Flatus
Pectora, & à maculis, & à vitâ sorde repurgat,
Ut sint apta DEC, sint digna habitacula templi.*

*Hoc pro cœlesti fas est, ante omnia, dono
Gratum animum, & letos animi decernere cultus.
Semper enim in terris manet idem Spiritus, inter
Congressus sacros, ubi de pietate seruntur
Sermones, ubi pura sonant Mystera Verbi:*

Sem-

*Semper corda hominum bonus occupat ille piorum,
 Non tantum, quibus Ara Decus, nomenq; paravit:
 Verum etiam fugiunt qui partem à lege remotam,
 Et castum ingrediuntur iter, quà semita dulcem,
 Monstrat ad astra viam: semper bonus ille parentis
 More fovet nudos, quibus anxia & indiga sors est.
 Lumine qui capti lumen caeleste requirunt,
 His lucem infundit, quæ felicissima lux est,
 Noticiam mentemq; DEI: dein pluribus auget
 Muneribus: Spe, Iusticiâ, pace, ubere rerum
 Cognitione, Fide, vero pietatis amore:
 Atq; aliis, quibus & Doctores saepe sinistri
 Ornati incedunt, summis veruntamen orbi
 Arcanisq; manent donis: dilectio quorum
 Vêra Dei, verusq; timor, fiducia vera
 Principe sunt disposita loco. nam sicut imago
 Impurâ speculi maculâ obfuscatur in orbe:
 Sic non esse capax divini Flamminis unquam
 Ulla potest ratio, nisi fœdum criminis usum
 Dediscat penitus, pereunte libidinis aestu.*

*Ergo procul, procul excedant deliria eorum,
 Quos ignominiam non tædet inurere spurco
 Ore DEO trino, ac uni, fortissima cujus
 Vindex ipsa sui Majestas vivit honoris.*

*Nil sine diuino Spiramine nostra voluntas
 Exsequitur: nulla est, hoc Exsule, nostra facultas.
 Precipitem dat sponte suâ se faucibus orci
 Cacus homo: revocare gradum sed nescit in auras,
 Auxiliatricem nisi Dextram Gratia Divûm,
 Porrigat, ex nobis: quàm pernicipiale venenum,
 Nil ultra est: Triade è sanctâ Bonitatis origo.*
VOTVM PRO SALVTE TOTIVS
 generis humani, ex Divo Ambrosio
 desumptum.

VT nunc in pejus ruit omnis functio vite,
 Ut mala nunc rerum tempora cursus habet:
 Quis non AMBROSIO diuo cum Patre precetur
 Hac hominum generi sine probanda bono?
 "Præterita ó utinam saperet, præsentia obire
 "Mente, futura animo prospiceretq; pio.
 Nempe tria hæc, longos quæ præteriere per annos,
 Quorum anima primum est morte redempta salus.
 Nam quantum amisit thesaurum, munera vite
 Quanta malo Colubri fœmina victa dolo?
 Humano eripuit generi commercia Divûm,
 Præcluserit veræ dulce salutis iter.
 Quid melius, quàm si frueremur sorte parentum,
 Numen eis lapsum quæ dedit ante frui.

Nulla

Nulla foret scelerum facies, fraus nulla, pericli
Non metus, Invidia toxica nulla forent:

Omnia tuta, beata, salubria, florida, firma,
Integra, pura dolis, candida, sancta forent!
At nunc plena malis sunt omnia, plena periclis:
Rara fides, pietas frigida, fictus amor.

”O utinam saperet commissa piacula culpe,
” Versaretq; alto pectore turpe nefas:
Turpiter ut magni violaverit aqua Tonantis
Jussa, suo cupiens non minor esse Deo.

Quanta mala unius Mali contraxerit esu!
Quàm citò divinâ se spoliârit ope!
”O utinam amissum revocaret pectore tempus,
” Nequitia nunquam facta fenestra foret!
Otiâ non tantas caperent infamia vires;
Nec daret exitio tot pigra corda Venus.

Major haberetur Musis honor, amula virtus
Cresceret, & solida cognitionis amor.

”O si præterea vita breve tempus, & usum
” Voluerent humanum corde gemente genus!

Quidnam Bulla? nihil: quid homo? nisi Bulla: superbit
Jam, mox succumbit triste cadaver humo.

Quid post? vermiculis sit grata voracibus esca,
Et redit ad cinerem, qui fuit antè cinis.

- „ Insuper o utinam curá solerte teneret,
 „ Quàm sit difficilis, quàm preciosa salus :
 „ Quàm brevis ad Caeli deducat semita portam,
 „ Quàm longa ad Stygios orbita pandat iter.
 „ Deín o si cantá libraret mente frequenter,
 „ Quàm salvandorum parva futura cohors:
 „ Quàm contrà (horresco referens) numerosa malorũ,
 „ Quos Orco includet vindicis Ira DEI.
 „ O utinam Mortis versaret sensibus horam,
 „ Qua nihil incertum sollicitumq; magis :
 „ Deniq; Iudicium CHRISTI, Patris ante Tribunal,
 „ Quo nihil horridius nil graviusq; malis :
 „ Tandem Acherontæi tormentum triste doloris
 „ Intolerabilius quo nihil Orbis habet.

Hæc pia successum si consequerentur amicum,

Vota, quis athereas non repararet opes?

Pro hominum, Divũmq; fidem, mutatio quanta?

Quovè fugaretur Tartareum omne nefas?

Aurea, quæ fuerant quondam, citò secula redirent,

Exilium excuteret Candor & acre suum.

Sed quidnam votis juvat indulgere peractis,

Proficere & nulla parte? quis usus erit? (posco,

Quin te, CHRISTE, rogo, & supplex tua Numina

Fac aliquod nostras pondus habere preces.

Ne poenam accelera, neu justum intende furorem,
Nate DEI; gentis sed miserere tue.
Gentis, quam tu non argenti aurivé talentis,
Morte redemisti sed, pie CHRISTE, tuá:
Da veniam factis: nos emendabimus ævum
Postmodo: tu membris tu modò parce tuis.
Imbue frigidulas sacro Spiramine mentes,
Quo sine nec pietas, nec calet ulla fides.
At, agitante DEO fient, quæ simplice versu
Vota dedi, finem singula nacta bonum.

MAGNI. ET GENEROSISS. DOM.
 DOM. GVILIELMO AB OPPERSDORF, LIBERO
 Baroni in Aich, Fridstein, Hermanmestiz, &
 " Cösell &c. optimo Musarum & Chari-
 tum Hierophantæ, Mecœnati suo
 incomparabili.

DE FELICI EX POLONICA
 strage Reditu.

Q'uales ore sonos, quales dat pectore gestus
 Filius, ut reducem cernit ab hoste Patrem.

a Tales

Tales & plausus, tales & gaudia gestus
 Ore animoque recens elicere meo.
 Nempe ubi te vinculis hostilibus Ipse solutus
 Comperii patriis rursus adesse focis.
 Quòd nec pugna Viris dispar, Fignensibus agris,
 Cede tuum domuit flebiliore caput.
 Præda nec, obstiteras cui fortiter obvius, hosti
 Bellica mansisti, quæ modò factus eras.
 Salve iterum, atque iterum Miles fortissime, salve
 Nomine Mæcenas, alter amore Pater.
 Dicere læticiam nequeo (pia Numina testor)
 Incolumem generi te superesse tuo.
 Balba nimis Musa est, testari gaudia mentis,
 Incolumem Patriæ te superesse tuæ.
 Muta mihi vox est, plenissima gaudia fari,
 Incolumem Musis te superesse meis.
 Vive igitur felix, longosque superstes in annos
 Et Generi, & patriæ: Vive Guilhelme mihi.
 Qui saluum duxit per tela, per arma, per hostes,
 Angelicâ posthac te tueatur ope.
 Majorum ut laudes, & strenua facta tuorum
 Amplifices dextrâ, Marte favente, tuâ.

Aversa

*(Aversâ nec enim Mars fronte tuebitur omnes,
 Causâ Patrocinio quàm bona major erit.)*
Tum mihi nascetur laudum Seges ampla tuarum,
Qui tibi me totum debeo, quiq; tuis.
Sis mihi Mæcenas, & ero tibi parva Maronis
Umbra: Pœta tuus sum, maneq; tuus.
 OPPERSDORFLADVM nomenq; decusq; manebunt,
Dum quis erit Genius carmine, Musa, tuo.
Salve igitur, Guilhelme Baro, eternumq; valetô,
O mihi solliciti Patris habende loco.

DE OBITU PIAE FOEMINAE
 Vxoris Georgii VVolfii.

VT venit nostras inopinus Rumor ad aures,
 Uxorem morti succubuisse tuam:
 Corripuit (fateor) primum stupor ossa, genasq;
 Et ferit grandis cor juvenile dolor:
 Nempe quòd ante diem letheis cassibus esset
 Præda tui consors Annula facta tori:
 Ipse, inquam, flos, ipse vigor, quo mille Puellas
 Anteibat roseis Anna decora genis.

*At quum colligeret mentem pudor obuius, omnis
Cessit ab ore stupor postmodò, corde dolor.*

Hem quid agis (sic ipse mihi tum fortè loquebar)

An nescis, homines esse, fuisse, lutum?

An mortem curare putas, quid forma, quid etas,

Quid valeant humeri, quid iuuenilis amor?

An vel opinaris, Sortis discrimen haberi?

An longas Parcís te latet esse manus?

Hæc tum volvebam, tibi quæ repetenda sub imo

Pectore disparibus mitto ligata modis.

Quòd si non mortis ius luctu parcere mandat,

Te moveat Fati ius, ratioq; DEI.

”Nec tenuis passer, nisi permittente Iehová,

” Nec pilus ex nostro vertice fortè cadit.

”Omnia sunt hominum certo pendentia fato:•

” Sed regit omnipotens omnia fata DEVS.

Sic, quum constituit reprobris infligere pœnas,

Quæ lentis veniunt, & tacitis pedibus:

Ille suos plerumq; solet, duce Morte, fideles

Eximere humanis rebus, ut astra petant.

Jam qualis fuerit tua Conjux Anna, Georgi,

Dico tribus verbis: Ipsa FVIT PIETAS.

Unum

*Unum aspiravit, temnens mortalia, calum;
 Et non in mundo, dum fuit, illa fuit.
 Ergo Ivs Mortis, Ivs fati, atq; omnia credas
 Conspirasse tua in Conjugis astra necem.
 Quorsum igitur luctus? cui nū moderaris, obibit
 Bis mortem lacrimis Anna perempta tuis.
 "Si nescis, quæ nunc fortunent tempora mundum,
 Vivere torqueri, perpetuòq; mori est.*

FINIS EPIGRAMMATVM ET
 CARMINVM SAL. FRENZELII.

Tibi gloria Domine IESV.




MENDA TYPOGRAPHICA

sic corrigito.


- Fol. 11. versu 6. pro tempere, lege temere.
F. 14. versu 7. pro timida, lege tenera.
F. 16. versu 1. pro tuá, lege tua.
F. 17. versu 6. pro modela, lege medela.
F. 26. versu 17. pro quisquis lege quisq.
F. 23. versu 16. & 17. coniunge nostrum est.
F. 54. versu 1 post decorum pone comma.
F. 56. versu 3. pro Curia, lege curia.
F. 82. versu 2. pro qualiacumq, lege qualiaq.
F. 89 in titulo ult. pro inprimis, lege inprimis.
F. 93. versu 16. pro ora, lege arva.
F. 110. versu 6. pro Iste. lege Is te.
Ibid. versu 15. pro assuescere, lege deducere.
F. 161. versu 19. pro acrimas, lege lacrimas.
F. 175. versu 20. pro volverent, lege volveret.

Cætera partim non animadversa, partim minutiora facile emendabuntur.











Śląska Biblioteka Publiczna

222011

I

222013

Śl.

Min. Ośw. 507a — PZWS C850 X. 49

Biblioteka Śląska

222011

222013

I

